



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Introductio Ad Logicam, Sev Brevis Svmmvlarvm Svmma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

INTRODVCTIO AD LOGICAM, SEV BREVIS SVMMVLARVM SVMMMA.

P R O O E M I V M.

DISSERENDI artem, quam iam indifferenter Logicam appellamus seu Dialecticam, duobus modis solent Doctores tyronibus proponere; primò compendiosè ac succinctè, absque subtilioribus illis disputationibus, quas de natura ipsius Logicæ, de vniuersali vt sic, de prædicabilibus, de prædicamentis, &c. aut curiositas humani ingenij, aut cuiuscumque veritatis indagandæ cupiditas excogitauit. Secundò fusiùs, intermixtis scilicet illis disputationibus. Logica priori modo proposita variis nominibus appellata venit, nunc Introductionis, nunc Institutionum Logicarum, nunc parua Logicæ, ad differentiam scilicet ipsiusmet, vt prolixiori illo modo proponitur, quorum nominum cuilibet non deest proprius, & satis accommodus sensus. Quia verò communior vsus obtinuit, idq; immatura tyronum capacitas exigere videretur, vt ad difficiliorum illarum difficultatū arcana non admittantur, nisi imbuti prius notitiā illā, quam ex Logica parua haurire possunt, ab eo mihi non videbatur recedendum. Itaque sequentibus capitibus omnia illa præcepta Logicæ, quæ tyronum captui accommoda, & vtilitati opportuna iudicauero, quam potero clarè ac breuiter proponam.

CAPVT I. De Terminis vt sic.

Terminus, vt de eo hic agitur, & vt consideratio eius spectat ad Logicā, varie describitur ab authoribus; quibusdam dicentibus, quod sit illud quod est constitutum propositionis; aliis, quod sit illud, in quod resoluitur propositio; aliis, quod sit vox significatiua constitutiua propositionis categoricæ: nec, si metaphysicari hic etiam liceret, deesset longissima altercationis occasio. At consultius non necessarias præscindere disputationes, & rem ipsam, quantum vtilitas exigit, explicare.

Definitio 2. Dico ergo terminum Logicum optime describi posse *quidquid potest esse subiectum aut prædicatum propositionis*; Est autem propositio oratio in qua aliquid de alio prædicatur aut negatur, vt cum dico *homo est animal*. Prædicatū vero propositionis est illud quod affirmatur aut negatur; vnde quia animal in præmissa propositione affirmatur, seu dicitur de homine, propterea est prædicatū illius propositionis. Subiectū propositionis est illud, de quo aliquid dicitur; vnde quia de homine dicitur in prædicta propositione quod sit animal, propterea homo est subiectum prædictæ propositionis: Quod ergo potest esse subiectum vel prædicatū alicuius propositionis, illud est terminus. Quod patet, tum quia nullus potest assignari terminus, qui nō possit esse subiectū, aut prædicatum propositionis, nec potest assignari prædicatum aut subiectum vllius propositionis, quod non sit terminus; tum quia qui non intelligit prædicatū aut subiectum vllius propositionis, dicitur cōmuniter non intelligere terminos illius propositionis, & qui nō intelligit prædicta aut subiecta, quibus Logici vt cōsueuerunt, dicitur ignorare terminos Logicæ.

3. *Dices*: Verbum est non est terminus, sed tamen potest esse subiectum propositionis, vt cum dico *veebum est*, est copula propositionis, ergo mala est prædicta descriptio.

Respondeo negando maiorem: quamuis enim, vt solum habet rationem copulae, seu vocis per quam aliquis aliquid de alio affirmat, non sit terminus iuxta præmissam descriptionem; tamen vt habet rationem alicuius, de quo aliquid possit prædicari, aut quod possit prædicari de aliquo; habet rationem termini.

4. Si autem quæras, cur illud quod potest esse subiectū vel prædicatum vocetur terminus, Respondeo, sufficere pro ratione communem omnium institutionem; vltèrius tamen dico illam communem institutionem fortassis ha-

buisse pro motiuo, quod vox *terminus* ex primæua institutione significaret extremum rei in eo sensu, in quo dicitur punctum esse terminum lineæ, & locum illum quod aliquis vult peruenire esse terminum sui itineris; vnde quia subiectum, & prædicatum propositionis sunt extrema eius, vltra quæ non tendit, propterea poterant commode vocari termini propositionis.

5. Si quæras iterū, an ad hoc quod aliquid dicatur actu terminus, requiratur quod actu terminet, seu constituat propositionem per modū extremi, seu quod actu sit prædicatum in aliqua propositione. Respondeo esse quæstionem de nomine, & parua vtilitatis; magis autem mihi placet sententia negans, sufficit enim ad rationē termini quod possit esse subiectum vel prædicatum, siue actu sit tale, siue non; id quod colligitur ex communi modo loquendi Doctorū, qui dicunt quod ly *homo* non considerando ipsū in vlla propositione, sit terminus categorematicus, & ly *vel* terminus syncategorematicus; & ly *canis* terminus æquiococus, & ly *sanus* terminus analogus: nec quæ contra hoc obijciunt Complutenses vllius sunt momenti, vt facile esset ostendere, si res esset tanti ponderis.

CAPVT II.

De varijs terminorum diuisionibus.

Prima diuisio termini est in mentalem, vocale, & scriptum. Terminus mentalis est qui potest esse subiectū vel prædicatum propositionis mentalis; est autem propositio mentalis actus ille intellectus nostri, quo interior aliquid affirmamus aut negamus de alio, qualem potuissimus habere, etiam si voces essent impossibiles. Terminus vocalis est qui potest esse subiectum, vel prædicatum propositionis vocalis, quæ est oratio constans vocibus, qua solemus aliis significare propositiones nostras internas. Terminus denique scriptus est qui potest esse subiectum, vel prædicatum propositionis scriptæ.

2. *Secunda diuisio* termini vt sic vocalis est in terminum significatiuum, & nō significatiuum. Terminus vocalis significatiuus est vox, quæ ex beneplacito aut instituto voluntatis rationalis aliquid significat seu repræsentat potētiae cognoscitiuæ, & potest esse subiectum vel prædicatū propositionis, vt vox *homo*, quæ cū ex natura sua sit indifferens ad significandum naturam humanam, & equinam, modò, ex eo quod homines instituerint illā vocē ad significandam naturā humanā, habet ex illa institutione significare ipsam, & est subiectum huius propositionis: *homo est animal*, & prædicatum huius alterius, *Petrus est homo*.

A

3. Termi

nis vocatur terminus?

An terminus de beat actu terminare propositionem?

Quid terminus mentalis?

Quid vocalis?

Quid scriptus?

Quid significatiuus?

Quomodo verbum est, habet rationem termini?

Cur subiectū ac prædicatum propositio-

Quid
non si-
gnifica-
tiuus?

3. Terminus non significatiuus est vox non imposita à voluntate rationali ad significandum aliquid, & potest esse subiectum vel prædicatum alicuius propositionis, vt *Blutiri, Flostrus, Nidra*, & similia. Hinc pater quid sit propositio vocalis significatiua & non significatiua, illa enim est quæ constat terminis significatiuis, hæc quæ constat termino vel terminis non significatiuis.

Quid
vniuocus?

Quid
æquiuo-
cus?
Quid
analo-
gus?

4. *Tertia diuisio* est termini vocalis significatiui in vniuocum, æquiuocum, & analogum. Terminus vniuocus est qui dicitur de pluribus secundum eandem rationem, vt vox *homo* dicitur de Petro & Paulo, album de pariete albo & de lacte albo. *Æquiuocus* est qui dicitur de pluribus secundum diuersam rationem, vt canis dicitur de terrestri, de celesti, & marino. Analogus est qui dicitur de pluribus secundum diuersam rationem, sed propterea tamen quod illa plura aliquo modo particulari respiciant se inuicem, vt sanum dicitur de vrina, medicina, animali; non enim eandem rationem significat ly *sanum*, vt dicitur de illis tribus neque eandem habet explanationem, vt dicitur de illis: sensus enim eius, quatenus dicitur de animali, est quod animal habeat debitam complexionem absque infirmitate vlla: quatenus dicitur de vrina, quod vrina significet debitam illi complexionem inesse animali, cuius vrina dicitur sana: & denique quatenus dicitur de medicina quod sit medicina apta causare in animali illam debitam complexionem, data tamen opera hoc nomen *sanum*, quod principaliter imponebatur ad significandam debitam illam complexionem, imponebatur ad significandam vrinam, & medicinam talē quia respiciebant illam debitam complexionem, vna quidem per modum signi, & altera per modum causæ. Alij alio modo definiunt terminum analogum, sed hæc explicatio est conuenientior doctrinæ, quā traditur sumus in Antepredicamentis, vbi de his terminis plura dicemus.

Quid
commu-
nis.

5. *Quarta diuisio* termini vocalis significatiui est in terminum communem seu vniuersalem, & singularem, seu particularem. Terminus communis est, qui dicitur de multis cū multiplicatione sui. v.g. quia vox *homo* dicitur de Petro & Paulo in quibus multiplicatur res significata per ipsam, ita vt verū sit dicere quod Petrus, & Paulus sint duo homines, propterea vox *homo* est terminus communis, & vniuersalis, nimirum respectu illorum plurium de quibus dicitur, & idem est de voce *populus* respectu huius, & illius populi, & de voce *canis* respectu omnium canum celestium, terrestrium, & marinarum.

Quid
particu-
laris.

6. Terminus particularis, seu singularis est, qui significat vnā rem immultiplicabilem, sic Petrus quia significat vnū indiuiduum humanum non multiplicabile in plura, est terminus singularis; & idem est de voce *Deus*, quæ licet dicatur de tribus suppositis diuinis, quia tamen res significata per ipsam, nimirum natura diuina, non multiplicatur in illis tribus suppositis, ita vt verum sit de ipsis dicere, quod sint tres dii, propterea est terminus singularis; sic etiam *populus Romanus* est terminus singularis, quia licet dicatur de pluribus nimirum de omnibus habitatoribus illius ciuitatis, tamē quia res significata per illam vocem non multiplicatur in illis, sed est ipsummet aggregatum ex omnibus illis, propterea non est terminus vniuersalis sed particularis.

Quid
collecti-
uus.

7. Et hinc rursus diuiditur terminus singularis in collectiuum, & diuisiuum. Collectiuus est qui de pluribus dicitur collectivē sumptis, & non de quolibet ex illis seorsim, vt *populus Romanus* dicitur de omnibus habitatoribus Ciuitatis Romæ simul sumptis, non verò dicitur de vilo ex illis seorsim sumpto.

Quid
diuisi-
uus.

Terminus diuisiuus particularis est, qui dicitur de pluribus rebus particularibus seorsim sumptis, & non tamen significat aliquam rationem vnā communem & multiplicabilem; sic *Deus* est terminus particularis diuisiuus respectu trium personarum diuinarum, & aliquis homo respectu omnium hominum. Deinde terminus particularis alio modo diuiditur in terminum determinatum, & indeterminatum. Determinatus est, qui significat vnā rem determinatam, quā scilicet posset aliquis determinare, & ostendere; vt *Bucephalus, Ioannes*. Indetermi-

Quid
determi-
natus?

natus est qui significat quidem aliquam rem particularem, sed confusē tamen, sic, vt non magis possit colligi, an vna res particularis significaretur quam alia, vt aliquis homo, quædam substantia, nonnulli homines, &c.

Quid in-
determi-
natus.

8. *Quinta diuisio* termini significatiui est in categorematicum, & syncategorematicum. Terminus categorematicus, seu significatiuus est vox tam perfecte significatiua, vt se sola significatiue accepta possit esse subiectū, vel prædicatum propositionis habētis sensum, vt hæc voces, *Deus, homo, animal, terra*. Terminus syncategorematicus, seu con-significatiuus est vox significatiua quidem, sed non tamen tam perfecte, vt se sola significatiue accepta possit esse subiectum aut prædicatum propositionis habētis sensum, aut apte generare sensum perfectum in audiente, & intelligēte terminos, vt *omnis, nullus, aliquis, quidam*, quæ propterea voces vocantur con-significatiuæ, quia non nisi coniunctæ aliis habent sensum bonum completum. Dixi autē quod terminus categorematicus significatiue acceptus se solo possit esse subiectū, vel prædicatum propositionis habētis sensum, & terminus syncategorematicus non possit, quia dupliciter potest vox quauis sumi: primò materialiter pro se ipsa, vt cū dico homo est vox, homo est nomē substantiuū, & in hoc sensu vox capitur materialiter, & non vt est significatiua, potestque tam terminus syncategorematicus, quā categorematicus esse subiectum, & prædicatum propositionis perfectæ; hæc enim sunt propositiones perfectæ: *omnis* est terminus syncategorematicus; *omnis* est nomen adiectiuum, *quidam* est pronomen, sicut & hæc: homo est nomen substantiuū, homo est terminus categorematicus. Secundo potest vox sumi formaliter, & significatiue quatenus significat illud ad quod significandum erat imposita, & supponit pro illo, & sic sumitur vox, homo, & vox, animal, in hac propositione *homo est animal*. Hoc ergo modo accipi debet terminus categorematicus, & syncategorematicus, vt distinguantur inter se, & conueniant ipsis præmissæ descriptiones: & in hoc sensu acceptus terminus syncategorematicus non potest se solo esse subiectum, aut prædicatum propositionis perfectæ. Dico autē *se solo*, quia simul cum termino categorematico potest esse subiectum talis propositionis, vt patet in hac propositione, *omnis homo est animal*; & hæc: *nullus homo est lapis*; quauis tum non tam subiectum, quā affectio subiecti dicatur; & per hoc patet, quod termini syncategorematici sint verè termini, secundū quod terminus describitur esse, quod possit esse prædicatum, vel subiectum propositionis; tum quia materialiter accepta possunt esse talia, vt cum dicitur: *omnis*, est vox dissillaba; tum quia etiam significatiue accepta simul cum termino categorematico integrant subiectum, vt in hac propositione, *omnis homo est animal*.

Quid cate-
goremati-
cus.

Quid syncate-
goremati-
cus?

Quando
accipitur
vox materi-
aliter?

Quando
sumitur
formali-
ter.

9. Quod si quæras, an nomina adiectiua sint termini categorematici. Respondeo, aliqua nomina adiectiua, vt *omnis, nullus*, non esse, vt patet ex antea dictis; nec de his est controuersia, sed de aliis nominibus significantibus formas aliquas accidentales determinatas, vt *iustus, albus, doctus*; quæ habent sine dubio magis perfectam significationem, quā illa priora nomina; minus tamen habent perfectam significationem quā nomina substantiua: & de huiusmodi nominibus existimo controuersiam esse de nomine; an sint censendi termini categorematici, necne; & vtramque partem esse probabilem, & parum omnino referre quid dicatur. Fundamentum autem partis negatiuæ potissimum est, quod ad terminum categorematicū requiratur tam perfecta significatio quā habent nomina substantiua. Fundamentum autem partis affirmatiuæ est, quod non requiratur hoc, sed sufficere, quod terminus categorematicus significet aliquam rem determinatam per se conceptibilem, quauis significet illā rem, vt adiacentem alteri, & consequenter tali modo, vt non possit perfecte intelligi cui adiaceat, nisi intelligatur alia res illa, cui adiacet; licet non nunquam importet sufficienter subiectum, quando scilicet forma, quam significat, determinatum petit subiectum: & sic quando dicitur, *adest superbus*, sufficienter intelligitur *adest* homo, quia ex corporeis substantiis ille solus est capax superbiæ.

An no-
mina ad-
iectiua
sint ter-
mini ca-
tegore-
matici.

Quid terminus cōcretus.

10. *Sexta diuisio* est termini categorematici in concretum, & abstractum. Concretus est qui significat vel formam vt denominantem, aut afficientem aliud, vel re aliquam, vt denominatam & affectam a forma, vt *iustus, bonus, cognitus*, qui significant aliquem affectum iustitia, bonitate, cognitione, seu iustitiam, bonitatem, cognitionem, vt afficientes & denominantes aliquem. Terminus abstractus est, qui significat formam, quæ afficit, aut nata est afficere, & denominare aliud, non tamen vt afficit, aut denominat, sed secundum se, vt iustitia, bonitas, cognitio, quæ significant formas illas, quæ denominat iustum, bonum, cognitum, sed tamen non vt sic denominant, sed secundum se, tanquam si actu non denominaret.

Septima diuisio.

11. Huic diuisioni valde affinis est septima, quæ est termini categorematici in absolutum, & connotatiuum, quorum differentia a prioribus terminis, concreto scilicet, & abstracto, vix discerni potest ex explicationibus communibus.

Quid absolutus, & connotatiuus secundum Hurtadum. Reiciitur. Sententia Arriagæ.

Hurtadus reiecit variis aliorum explicationibus ait terminum connotatiuum esse, qui se solo sine dependentia ab alio termino non significat perfectè; significat autem cum illo, quem propterea dicitur connotare: vnde iuxta hoc terminus absolutus est qui se solo significat perfectè sine dependentia ab alio termino. Et hinc infert, omnia, & sola nomina adiectiua esse terminos connotatiuos, & omnia substantiua esse terminos absolutos.

12. Hæc explicatio non placet, quia confundit terminos connotatiuos, & absolutos cum categorematicis, & syncategorematicis. *Arriaga* putat terminum absolutum esse, qui significat rem quasi per se stantem: terminum verò connotatiuum esse, qui significat aliquid per modum adiacentis alteri; vnde etiam infert nomina adiectiua omnia esse terminos connotatiuos, substantiua verò absolutos, & declarat se vltius dicendo quod *ly iustus* significet quidem subiectum iustitiæ, & iustitiam ipsam, sicut homo significat suppositum humanum, & humanitatem, sed *iustus*, significat vtrumque per modum alteri adiacentis, *homo* verò non ita; vnde iustus est connotatiuus terminus, homo non item.

Reiciitur.

13. Hæc explicatio etiam non placet, quia in re coincidit cum priori, nam ideo significant termini connotatiui rem per modum adiacentis, quia non significant rem perfectè. Deinde quia falsum est quod iustus, & similia concreta significant tam subiectum formæ, quam ipsam formam per modum alteri adiacentis; in hac enim propositione, *Petrus est iustus*, subiectum iustitiæ est ipsemet *Petrus*, nec dici debet quod ipsemet *Petrus* significetur sibi ipsi adiacere. Adde contra vtramque explicationem, quod pater, & dominus dicantur termini connotatiui, cum tamen sint nomina substantiua. Verum est, quod tamen Hurtadus, quam *Arriaga* negant eos esse terminos connotatiuos, quia aliàs vnio, & materia essent termini connotatiui. At hæc ratio nihil valet, quia terminus connotatiuus debet significare duo, sicut terminus concretus, & præterea consignificare aliquid aliud; vnio verò, materia, & similia non habent hoc: vnde cum *Dominus* significet hominē habentē dominationem, & præterea connotet aliquid, respectu cuius habetur dominatio, posset esse connotatiuus, quamuis vnio non esset, nec materia.

Sententia Mastrij, ac Bellutii.

14. *Patres Bartholomæus Mastrij*, & *Bonauentura Bellutus*, Conuenticuales nostri ordinis, qui Physicā primò, & postea Logicā iuxta mētem *Scoti* satis accuratè, & doctè scripserūt, quosq; deinceps breuitatis causa sub nomine *Mastrij* citare placuit, quod lectorē admonitum velim; dicunt terminū absolutū esse, qui vltra genus, & differentia rei, quam significat, nihil aliud extraneum significat, nec requirit vt habeatur cōceptus quietatiuus eius: terminus verò connotatiuus est e contra, qui vltra principale significatū, & in recto, aliquid aliud dat intelligere secundario, & indirectè, velut necessarium ad habendum conceptum rei perfectum, & quietatiuum: sic pater, inquit, dicitur connotare filium, accidens substantiam, materia formam, cœna tempus vespertinum.

Reiciitur.

15. Hæc etiam explicatio non placet, tum quia nullus esset terminus absolutus ea supposita quoad nos: neque

enim possumus habere vllum conceptum distinctum, & quietatiuum de vlla re, quin necessario habeamus cōceptū de alia re, ergo si terminus absolutus est qui significat rem sine dependentia ab alia re, quæ requiratur ad habendum conceptum quietatiuū eius, nullus erit terminus absolutus. Probatur antecedens, quia si esset aliquis terminus absolutus, maximè homo, aut albedo, sed nec homo potest intelligi perfectè absq; eo quod intelligatur discursus, aut aliqua alia operatio propria ipsius, nec albedo absq; eo quod intelligatur munus aliquod particulare, & propriū ipsius, per ordinē ad quod posset distinguī ab aliis formis; ergo nullus esset terminus absolutus, supposita prædicta descriptione. Deinde cœna, pro vt distinguitur a prædio, principaliter, & per se primò significat tēpus vespertinū, ergo si terminus connotatiuus est qui vltra principale significat aliud indirectè, cœna nō erit connotatiuus saltē ratione tēporis, cōtra hos Auctores.

16. Propter hæc, & alias impugnationes aliorum modorum dicendi videndas apud *Hurtadum*, & *Arriagam*, multi confundunt hos terminos cum prioribus, concreto scilicet, & abstracto; at immerito, nam *ly homo* secundum omnes est terminus absolutus, & tamen non est abstractus: abstractus enim terminus est, qui significat aliquam formam adiacentem, non tamen, vt adiacet, sed tanquam si fuisset ab illa re, cui adiacet, abstracta: homo autem non significat talem formam, aut rem ab alia re, cui adiacet, abstractam.

17. Itaque melius explicatur hi termini dicēdo quod terminus connotatiuus est ille, qui significat rem relationem, vt relatiua est, atque adeo, qui connotat terminum eius: absolutus verò, qui significat rem absolutā, vt absoluta est: cuius ratio esse potest, quod absolutū opponatur relatiuo: ergo connotatiuus terminus, qui opponitur absoluto debet esse relatiuus; & hinc dominus, pater, magister, creator, seruus, creatura, generas, simile, dissimile, sunt termini connotatiui; nec refert quod sint etiā concreti, quia hoc cōperit ipsis secundū diuersam considerationem: sunt enim concreti quatenus dicūt re affectā aliqua forma: v.g. *Dominus* significat hominē habentem dominationem; sunt autem connotatiui, quatenus forma illa, quæ afficit, est relatiua, & propterea indigēs ad conceptū aliquo alio termino. Hi verò termini sunt absoluti, album, iustus, sapientia, humanitas, quia non significant formaliter relatiuum qua tale, nec relationē: nec refert etiā quod ex his aliqui sint abstracti; quia vt dixi de connotatiuis, hoc ipsis competit secundum diuersā rationē, competit enim ipsis esse absolutos, quatenus non significant relationem; abstractos verò, quatenus significant aliquam formam, quæ adhaeret, seu adiacet alteri, licet non significant illam vt adiacēs est.

18. Hinc patet aliquos terminos abstractos esse connotatiuos, talis enim est *ly relatio*, & aliquos cōcretos esse absolutos, vt *iustus*. Patet etiā aliqua nomina substantiua esse terminos connotatiuos, vt dominus, & aliqua adiectiua esse absolutos, vt iustus. Hic autem aduertendum primò, quia acceptio horum terminorum hoc vel illo modo depēdet ab institutione, & quia auctores diuerso modo illos explicant; quantum ad vtilitatem, parum referre quomodo accipiantur, modò conueniatur in acceptione, atque idēd consultius esse quoties inter discurrendū de re, occurrunt illi termini, prius conuenire cum aduersariis in significatione illorum, non curādo, an sit verior, aut melior necne; sic enim examinabitur ipsa res, & vitabitur inutilissima altercatio de nomine.

19. Aduertendum secundò esse inter Auctores cōtrouersiam circa terminos concretos, quid nimirum dicar formaliter, an ipsam re, quæ afficitur forma, an ipsam et formam, an vtramque simul. Quæ etiam cōtrouersia mihi videtur parui momēti, ac nominalis: in ea verò *Scotista* communius tenent, quod dicant formaliter ipsā formam, v.g. quod iustus dicat formaliter iustitiā, simile similitudinē, pater paternitatem; & materialiter, & connotatiue subiectum ipsius formæ, v.g. hominē, qui est iustus, aut similis, aut pater. Alij tenent quod dicant formaliter, ac in recto ipsum subiectum, & con-

Vide Apol. n. 8. Aliorum sententia reicitur. Connotatiuus, & absolutus nō coincidit cum concreto & abstracto. Melior sententia.

Quid dicunt formaliter ter termini cōcreti.

Concreta
dicunt
forma-
liter for-
mam.

In recto
dicunt
subiectū.

Quid
terminus
transcen-
dens.

Quid
non tran-
scendens.

Quid
terminus
finitus.

Quid in-
finitus.

Quomodo
terminus fi-
nitus
redditur
infinitus.
Termini
transcen-
dentes
non pos-
sunt infi-
niti.

notatiue ac in obliquo formam: sed, vt dixi, hæc contro-
uersia est parui momenti, & de nomine potissimum.

20. In rei autem veritate dicendum existimo quod ly
iusus dicat formaliter iustitiam, & materialiter re quæ
afficitur iustitia, nam reuera illa res habet se per modū
materiæ respectu iustitiæ, & hæc per modū formæ res-
pectu ipsius; & quando volumus distinguere inter iustū
& album, non recurrimus ad subiecta sic denominata,
sed ad iustitiam, & albedinem. Cum hoc tamē fiat quod
in recto ly *iusus* (& quod dico de hoc termino, intelli-
gendum est de omnibus similibus, quia eadem est ratio
de omnibus) diceret rem quæ afficitur iustitia, & in
obliquo ipsam iustitiam; quia potest dici quod illud
dicat in recto, quod in explicatione ipsius ponitur in
nominatiuo casu, & in obliquo illud, quod in explica-
tione ipsius ponitur in obliquo casu; vnde quia expli-
cando ly *iusus* dicitur, quod sit homo affectus iustitia,
aut habens in se iustitiam, quandoquidem homo, qui
est subiectum iustitiæ, ponitur in nominatiuo casu, qui
est casus rectus; iustitia vero in accusatiuo, aut ablati-
ui, qui sunt casus obliqui: ideo potest dici quod iustus dicat
in recto subiectum iustitiæ, & in obliquo iustitiam.
Sed supposita hac explicatione, non est idem dicere ali-
quid in recto, & dicere aliquid formaliter; nec dicere
aliquid in obliquo, est dicere illud materialiter; quod
totum tamen dependet ex acceptione, & institutione
hominum vrentium his terminis hoc, vel illo modo.

Octaua diuisio est in transcendentem, & non transcen-
dentem. Terminus transcendens est, qui de quacunque re
cuiuscumque prædicamenti potest dici, & huiusmodi sunt
sex, Ens, Res, Vnum, Verum, Bonum, Aliquid; quorum
terminorum quilibet potest vere dici tam de substantia,
quam de quantitate, & qualitate quacunque, & sic de
rebus reliquorum prædicamentorum. Terminus non
transcendens est, qui nequit dici vere de rebus omnium
prædicamentorum, sed de determinatis aliquibus rebus,
vt homo, lapis, albedo, paternitas.

22. Nona diuisio est in terminum finitum, & infinitum.
Terminus finitus est, qui limitatā habet significationē,
sic scilicet, vt nō possit dici nisi de rebus, vel existētibus,
vel potentibus existere vt homo, color, paternitas. Ter-
minus infinitus huic oppositus est, qui possit tā de re-
bus existētibus, quā de nō existētibus, & nō potentibus
existere, prædicari, vt nō homo, qui potest & de lapide,
& de Hyppocentauro vere prædicari; verū enim est di-
cere quod lapis sit nō homo, & similiter, quod Hyppo-
centaurus sit nō homo. Finit autē termini finiti, modō
non sint transcendētes, infiniti, iungendo ipsi negationē,
vt non lapis, non paternitas. Dixi autem, modō non sint
transcendētes, quia si sint transcendētes, non poterūt
infinitari, quia iungēdo negationē termino transcendēti,
non potest dici de vlla re potenti existere; neque enim de
vlla re tali potest vere affirmari, quod sit nō ens, nō res,
non aliquid, cuius ratio est, quod termini transcenden-
tes de omnibus rebus potentibus existere dicantur,
vnde negatio eorum nequit de vlla tali re dici; aliās
contradictoria verificarentur de eodem, quod implicat,
vt patet ex terminis.

CAPVT III.

De variis terminorum affectionibus.

Affectiones terminorum, de quibus hic agere so-
lent authores, sunt sex, Suppositio, Ampliatio, Re-
strictio, Alienatio, Diminutio, Appellatio. Est autem af-
fectio termini conditio quædam, qua solet affici termi-
nus. Agitur autem hic de his affectionibus, quia possunt
deseruire ad mutandam naturam discursus, & falsifican-
dum syllogismum.

Quid est
suppositio.

Quid
suppositio ma-
terialis.

1. Suppositio est acceptio termini pro aliquo, & quia
potest accipi terminus aliquando pro se, aliquando pro
re, ad quam significandam est impositus, propterea di-
uiditur suppositio in materialem, & formalem: suppo-
sitiō materialis est quando vox, seu terminus accipitur
pro se ipsa, vt sit in hac propositione: *homo est vox*, vbi

ly *homo* non accipitur pro natura humana, sed pro sono
illo particulari, quo profertur illa dictio. Suppositio for-
malis est, quando terminus non accipitur pro seipso,
sed pro suo significato, vt in hac propositione: *homo est*
animal, vbi *homo* non accipitur pro illo sono, quia
alias propositio esset falsa, sed pro natura humana, ad
quam significandam erat impositus iste sonus.

2. Suppositio formalis diuiditur in propriam, & impro-
prium. Propria est, quando accipitur terminus pro re
illa quam propriè significat, vt cum accipitur leo pro
animali rugibili. Impropria est, quando accipitur pro re,
quam non significat propriè, sed improprie, & per figu-
ram, vt cum accipitur leo pro homine fortissimo &
valde generoso, in quo sensu accipitur, quando dicitur,
de Christo quod sit leo.

3. Suppositio formalis propria diuiditur in simplicem, &
personalem. Simplex suppositio est, quando accipitur
vox aliqua significans naturā vniuersalem communem
pluribus, & prædicabilis de pluribus illis, quibus est
communis illa natura, non pro vt conuenit ille termi-
nus pluribus, neque pro vt est prædicabilis de illis, sed
pro vt est prædicabilis de ipsa natura sola, vt cum
dicitur, *homo est species*, *homo est prædicabilis de pluribus*,
in quibus propositionibus ly *homo* capitur pro natura
humana secundum se, & non pro vt potest dici de petro
& paulo, alias Petrus esset species sicut homo, & Pau-
lus, quod est falsum: vocari autem videtur hæc suppositio
simplex, quia est suppositio termini pro vna re vni-
uersali, & non pro pluribus contentis sub illa re.

4. Suppositio personalis est acceptio vocis, secundum
quod accipitur pro pluribus contentis sub natura com-
muni, vt cū dicitur, *homo est animal*, vbi *homo* accipi-
tur pro quolibet indiuiduo naturæ humanæ, quia de
quolibet ex ipsis potest dici, quod sit animal. Signū autē
colligendi, quod terminus supponat simpliciter, est, si
prædicatum, quod dicitur de ipso, non conueniat alicui
ex inferioribus naturæ, quam significat; si verò prædi-
catum, quod dicitur de ipso, conueniat inferioribus, vel
omnibus, vel aliquibus, signum est quod terminus ille,
de quo dicitur illud prædicatum, supponat personali-
ter: vocatur autem suppositio hæc secunda personalis,
quia est suppositio vocis pro suppositis, vel personis,
contentis sub natura communi.

5. Diuiditur porro suppositio personalis in naturalem,
& accidentalem; naturalis suppositio est quando termi-
nus communis significans naturam communē supponit
pro omnibus contentis sub ista natura communi, vt cum
dicitur, *homo est animal*, vbi vox *homo* supponit pro
omni indiuiduo animalis, quandoquidem verum sit de
quolibet tali indiuiduo quod sit animal. Suppositio
personalis accidentalis est, quando terminus communis
non supponit pro omni indiuiduo contento sub natura
communi per ipsum significata, sed pro aliquibus tan-
tum, nimirum pro illis, quibus conuenit pro tempore
importato per verbum, vt cum dicitur, *homo studet*, *ho-*
mo cucurrit; in quibus propositionibus ly *homo* suppo-
nit pro aliquibus suppositis, aut personis humanis, at
non pro omnibus, sed in prima propositione pro illis
tantum qui student, dum profertur propositio; & in
secunda pro illis qui aliquando cucurrerunt ante pro-
latam propositionem.

6. Rursus suppositio personalis diuiditur in distri-
butiuam, copulatiuam, determinatam, confusam. Sup-
positio personalis distributiuæ est acceptio termini
communis, pro omnibus contentis sub natura commu-
ni seorsim sumptis, ita vt de quolibet ex ipsis per se, ac
determinate possit illud prædicatum, quod dicitur de
illo termino communi, prædicari: hoc modo supponit
ly *homo* in hac propositione: omnis homo est animal,
quia verum est dicere de quolibet determinato indiui-
duo humano quod sit animal, nemine dempto.

7. Suppositio copulatiua est, quando accipitur termi-
nus communis pro omnibus inferioribus simul sumptis,
ita vt prædicatū nō possit dici de quolibet ex inferiori-
bus seorsim sumptis. Hoc modo supponit ly *Apostoli* in
hac

Quid
formalis
propria.
Quid
impro-
pria.

Quid
supposi-
tio for-
malis
simplex.

Quid
persona-
lis.

Vnde
colligi
possit
voca-
re perso-
naliter
aut sim-
pliciter.

Quid
supposi-
tio per-
sonalis
natura-
lis.
Quid ac-
cidenta-
lis.

Quid
distribu-
tiua.

Quid
copula-
tiua.

hac propositione: omnes Apostoli sunt duodecim, quia non est verum dicere de quolibet Apostolo, nec tribus, aut quatuor, aut decem, quod sint duodecim, sed est verum de omnibus simul quod sint duodecim. Similiter etiam supponunt subiecta sequentium propositionum: omnes Evangelistae sunt quatuor, omnia elementa sunt quatuor: omnia principia corporis naturalis sunt tria.

Quid determinata.

8. Suppositio determinata est acceptio termini communis pro aliquo ex suis significatis, quod possit determinate ostendi a Deo, vel a quocunque qui videret omnia individua istius naturae communis cum omnibus suis accidentibus, quavis ex vi istius propositionis non magis competat praedicatum, quod dicitur, vlli vni individuo, quam ceteris: nec possit quis cognoscere quodnam determinate sit illud, cui competit istud praedicatum: hoc modo supponit *ly homo* in hac propositione, aliquis homo studet, aliquis homo morietur cras, nam posset Dominus Deus ostendere quis nam ille sit, & quicunque alius, qui videret aliquem dormientem, aut studentem, aut qui sciret aliquem determinatum hominem moriturum; tamen ex suppositione illa praecise non datur intelligi, quod vllus vnus determinatus homo magis quam quicumque alius dormiat, studeat, aut sit moriturus; dicitur autem hac suppositio determinata, quia habet magis determinatam significationem, quam suppositio confusa, de qua iam.

Quid confusa.

9. Suppositio confusa est acceptio termini communis pro aliquo ex inferioribus, sed tam incerto, & indeterminato modo, ut nec ab ipso Deo possit vllum determinatum inferius ostendi, pro quo determinate supponatur: sic supponit *penna* in hac propositione, *aliqua penna est ad scribendum necessaria*, & *equus* in hac alia propositione, *aliquis equus est ad equitandum necessarius*; neque enim Deus ipse potest ostendere vllam determinatam pennam, quae sit sic necessaria, quandoquidem quaecunque alia posset sufficere; neque vllum determinatum equum, qui sit sic necessarius, propter eandem rationem. Valde facile autem poterit quis hanc suppositionem a superiori distinguere, si aduertat, quod quando terminus supponit determinate, tum si concedatur, quod praedicatum competat nulli ex inferioribus praeter vnum, necessario debeat competere isti vni: unde si dicam, aliquis Evangelista comparatur aquilae, quia *ly Evangelista* supponit determinate, verum est, quod si nec Lucas, nec Matthaeus, nec Marcus comparatur aquilae, Ioannes debeat ipsi comparari. Sed quando terminus supponit confuse, quamvis praedicatum negetur de omnibus inferioribus praeter vnum, non debet tamen posse praedicari de illo vno: unde quando dico quod aliquis oculus est necessarius mihi ad videndum, quamvis ex duobus oculis, quorum alteruter est necessarius, verum sit quod oculus dexter non sit necessarius; tamen non sequitur quod sinister sit necessarius.

Quomodo possit fieri an terminus supponat confuse, an determinate.

Quid suppositio distributiva pro singulis generibus.

10. Denique suppositio distributiva dividitur in tres species. Prima species est suppositio distributiva pro singulis generibus, & haec est acceptio termini communis pro quolibet omnino inferiori suo, ut cum dicitur: *omne animal est vivens*; nam quandoquidem nullum sit animal, quod non sit vivens, *ly animal* pro omni omnino animali inferiori supponit: & haec est perfectissima species suppositionis distributivae. Ad hanc reducitur suppositio distributiva pro singulis specierum, ut cum dicitur: *omnis homo est risibilis*.

Ad eam reducitur suppositio distributiva pro singulis specierum.

Quid suppositio pro generibus singulorum.

Secunda est suppositio distributiva pro generibus singulorum, & est acceptio termini significantis naturam genericam pro singulis speciebus eius, non vero pro singulis individuis cuiuscunque speciei. Hoc modo supponit *ly animal* in hac propositione: omne animal fuit in arca Noe; cuius sensus est non quod omne individuum animalis, ut sic, fuerit in illa arca, sed quod omnis species animalis fuerit in ipsa, seu quod cuiuscunque speciei animalis, aliquod individuum fuerit in illa arca. Sic explicatur communiter; sed si vim verborum attendamus, melius explicaretur esse acceptio termini distributivae non pro singulis individuis, nec pro singulis etiam speciebus infimis, sed pro singulis speciebus iubiliteris, quae sunt genera: nec enim necesse est, ad veritatem ipsius propositionis, omne animal fuit in arca Noe, quod omnis spe-

cies infima fuerit ibi, sed sufficit omnia genera animalium in ea fuisse.

12. Tertia denique species est, suppositio distributiva accommodata, seu cum exceptione aliqua, & est acceptio termini communis pro inferioribus omnibus, exceptis tamen aliquibus, quae ex ipsa natura propositionis, & intentione proferentis illam, excipienda esse censendum est: sic supponit *ly omnia* in hac propositione, *caelum regit omnia corpora*, quod intelligendum est de omnibus praeter ipsum caelum, neque enim seipsum regere potest: sic etiam *ly omnes* supponit in illa propositione, *omnes in Adama peccaverunt*; excipiendus enim est Christus.

Quid suppositio accommodata.

Dantur autem ab auctoribus aliqua regulae ad cognoscendum quomodo ex his pluribus modis supponunt termini, sed nulla certior est, quam recurrere ad naturam materiae, & circumstantiarum, & inter disputandum consultius esset semper tollere aequivocationem, & stabilire sensum propositionis & potius in hoc convenire cum aduersario, quam alterari de nomine.

13. Mirum est autem, cur Complutensis hic post alios antiquos dicant signum particulare, quale est, *aliquis, quidam*, facere terminum proximum, cui coniungitur, supponere determinate; hoc enim non potest esse univocaliter verum, quandoquidem certum sit, quod in hac propositione, *aliquis oculus est necessarius ad videndum*; *ly oculus* non obstante signo particulari *aliquis*, quod ipsi proxime coniungitur, supponat confuse, & non determinate. Alia etiam in signis ab ipsis propositis possent reprehendi, sed brevitati consulere placuit, & illa iudicio lectorum relinquere: & haec de prima termini affectione sufficiant.

Ly alt. quis non arguit suppositionem determinatam.

14. Secunda termini affectio est *Ampliatio*, quae etiam distractio dicitur, & est extensio termini ad supponendum pro suo significato pro alio tempore, quam importatur per verbum: huiusmodi ampliatio habetur in hac propositione, *cacus videt*, aut *est videns*; nam *ly cacus* supponit non pro illo, qui est cacus in tempore praesenti, quo dicitur videre; sic enim propositio esset falsa; sed supponit pro illo, qui ante erat cacus.

Quid ampliatio.

15. Tertia affectio est *status*, & est quando terminus supponit pro suo significato pro illo ipso tempore, quod importatur per verbum; sicut enim quando supponit pro alio tempore, dicitur ampliari, ita quando supponit pro eodem tempore, dicitur habere suum statum: hoc modo se habet *ly homo* in hac propositione, *homo studet*, supponit enim pro homine illo, qui modo est, & modo studet.

Quid status.

16. Quarta affectio termini est *restrictio*, & est coarctatio termini ad maiori significatione ad minorem, ut cum dicitur: *omnis homo iustificatus est gratus Deo*; ubi *ly omnis homo* quod alias deberet supponere distributive pro omnibus, per adiunctionem *ly iustificatus* limitatur ad supponendum solum pro illis hominibus, qui sunt iustificati.

Quid restrictio.

27. Huic affectioni vicina est quinta, quae dicitur *diminutio*, & est limitatio aliqua facta per aliquam particulam, ratione cuius aliquis terminus, qui alias non posset vere praedicari de aliquo, possit de ipso praedicari. Hoc modo afficitur *ly albus* in hac propositione: *Aethyops est albus secundum dentes*; nam quavis simpliciter, & absque additione non possit dici de Aethyope, quod sit albus, quandoquidem simpliciter dicatur de ipso, quod sit niger; tamen additio illius particulae *secundum dentes* facit ut possit vere dici de ipso. Vocatur autem haec affectio diminutio, quia terminus ille qui mediante affectione dicitur, non habet illam plenam significationem quam habet quando dicitur absque illa diminutione; quando enim dicitur de homine, quod sit albus, non addedo aliquid aliud, significatur quod sit albus pro multo maiori corporis parte, sed quando dicitur quod sit albus secundum dentes non significatur quod sit albus nisi secundum exiguam partem.

Quid diminutio.

18. Sexta affectio est *alienatio*, & est translatio vocis, seu termini a sua propria significatione ad significandum aliquid aliud propter adiunctionem alicuius alterius vocis aut termini: hoc modo afficitur *ly homo* in hac propositione, *ne homo pictus non est animal rationale*; ubi *ly homo* quod secundum se proprie significat animal rationale, propter adiunctionem *ly pictus* non significat animal rationale, sed

Quid alienatio.

sed potius picturam externam talis animalis.

19 Septima denique affectio est, *appellatio*, quæ est applicatio significationi vnius termini ad alium terminum, ut cum dicitur *Patricius sanctus*, ubi sanctitas significata per sanctum applicatur ad Patricium. Tota autem difficultas huius est, quando terminus aliquis coniungitur in eadem oratione cum pluribus aliis terminis, quorum cuilibet posset quantum ad vocem, & propositionem applicari eius significatio; cuius debet applicari v.g. quando dicitur Petrus magnus est Philosophus, significatio ly *magnus* posset applicari vel Petro, & sic sensus esset quod Petrus esset magnus corpore, vel etiam ly *Philosophus*, & sic sensus esset quod Petrus esset bene versatus in Philosophia. Difficultas inquam est in huiusmodi propositionibus, cuius ex illis terminis debet applicari ille alius terminus, aut supra quem ex ipsis debet (ut inquit Summulista) appellare. In ordine ad quod variæ assignantur ab iisdem Summulistis regulæ, sed securior, & facilius via est colligere ex modo loquendi, aut materia, aut circumstantiis, cuius debet applicari, & si id aliquando fieri nequeat, aut dubium adhuc relinquatur, tunc recurrendum est ad distinctionem, unde si reperitur huiusmodi propositio in scriptis aliquibus: Petrus magnus est Philosophus, & petatur an sit vera de aliquo Petro, qui sit magnus corpore, sed non in philosophia, licet sit tamen aliquo modo Philosophus; quandoquidem ex natura propositionis non debet intelligi an ly *magnus*, sit coniungendum cum subiecto, an cum prædicato, debet distingui propositio hoc modo: Si ly *magnus* appellat supra subiectum, seu si significatio ipsius applicetur Petro, ita ut sensus sit quod Petrus, qui est corpore magnus sit Philosophus, propositio vera est: Si vero ly *magnus* coniungi debet cum prædicato ita ut sensus sit, quod Petrus ille sit magnus in Philosophia, aut multum sit expertus in ea, falsa est propositio. Quo modo facile se quis extricabit non recurriendo ad regulas summulistarum ab ipsismet excogitatas, & non observatas à petitoribus linguæ latinæ authoribus, quorum nullus vniquam posuit differentiam ullam inter has propositiones *Regem vidi* & *vidi Regem*, ac similes alias, quas veteres summulistæ inutiliter distinguebant.

CAPVT IV.

De Nomine.

1. *N*omine describitur à Philosopho 1. de interpr. c. 1. esse *vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta*. Quæ definitio communiter admittitur, & patebit bonitas eius ex explicatione.

Dicitur *vox significatiua ad placitum*, quia agitur hic de nomine in ordine ad constructionem propositionis vocalis: sensus autem horum verborum patet ex dictis de termino significatiuo.

Dicitur *sine tempore*, ut distinguatur à verbo, quod significat cum tempore.

2. Dicitur *cuius nulla pars separata significat*, ut distinguatur ab oratione: hæc autem duæ particule, quibus distinguitur Nomen à verbo, & oratione, melius intelliguntur ex dicendis statim de verbo, & oratione.

Dicitur *finita*, ut excludantur nomina infinita, ut non homo, non lapis, quæ nullam rem determinatam significant, & propterea à ratione nominis à se definiti excludere voluit Philosophus.

Dicitur denique *recta*, ut excludantur casus omnes obliqui, ut hominis, homini, hominem, homine; quæ voces licet sint nomina etiam substantiua apud Grammaticos, tamen Philosophus noluit tales voces comprehendere in sua definitione, sed solū voces significatiuas in nominatiuo casu, quia in illo solo casu possunt esse per se subiectum, aut prædicatum propositionis significatiuæ, in ordine ad quam agit de nomine.

Dices: hæc propositio est propositio significatiua: hic liber est Petri, sed Petri, quod est genitiui casus, est prædicatum eius, ergo casus obliquus potest per se esse prædicatum propositionis.

Respondeo negando minorem; quia prædicatum illius propositionis non est *Petri*, sed *liber*, seu res Petri, hoc est spectas ad Petrum, quod subintelligitur in illa oratione.

CAPVT V.

De Verbo.

1. *V*erbum est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta, & est eorum, quæ de altero dicuntur, nota. Hanc descriptionem tradit Philosophus c. 2. de interpr. & admittunt omnes Peripatetici.

Dicitur *vox significatiua ad placitum, cuius nulla pars separata significat*, in quo conuenit cum nomine, & disconuenit ab oratione: Dicitur *finita*, ut excludantur verba infinita ut *non sinit, non docet*, quæ non significant quid determinate conuenit rei, de qua dicuntur. Dicitur *recta*, ut excludantur verba cæterorum modorum præter indicatiuum, quia verba indicatiui modi, ut talia, sunt sola illa, quæ deseruiunt ad significandum, quid rei conueniat actu, aut conuenierit, aut conueniet, & de verbis, ut sic, solum voluit agere Philosophus, quia illa sola per se ad institutum ipsius spectant.

Aliqui dicunt quod per hanc particulam excludantur etiam alia tempora indicatiui præter præsens tempus, & id etiam propter eorum auctoritatem est probabile; & perinde est in re quid dicatur.

2. Dicitur *cum tempore*, ut distinguatur à nomine; ad quam particulam intelligendam aduertendum est aliud esse significare tempus, aliud connotare aut consignificare tempus, aliud verò significare cum tempore. Significare tempus est deducere in cognitionem temporis, & hoc conuenit nomini alicui, nam vox *annus* est nomen significans tempus, & idem est de die, hora, nocte, ætate, sæculo.

Consignificare tempus est deducere in cognitionem temporis simul cum alia re, quatenus scilicet significat aliquid quod solet in aliqua temporis differentia fieri, sic cæna significat tempus vespertinum, quia significat comestionem, quæ tempore vespertino fieri solet, ex quo patet hoc etiam competere nomini, nam cæna sine dubio est nomen. Significare denique cum tempore est significare aliquid competere alicui pro aliqua temporis differentia, nimirum pro tempore præterito, præsentis, vel futuro, ut *studet* quod significat illum, de quo dicitur, *studere pro tempore præteriti*; & *est* quod significat prædicatum, quod eo mediante dicitur de aliquo, competere illi pro tempore præsentis, sicut *fuit* significat pro tempore præterito, & *erit* pro futuro. Ex quo patet significare *sine tempore* quod ponitur in definitione nominis, non sic intelligendum quasi nomen non deberet significare aut consignificare tempus, sed sic ut nomen non debeat significare, illud, quod de alio dicitur, conuenire ipsi pro vlla temporis differentia.

3. Dices: participium v.g. *amans* significat amorem competere alicui pro tempore præsentis, ergo si vera est hæc descriptio, participium erit verbum, sed hoc est falsum, ergo hæc descriptio est falsa.

Respondent aliqui negando consequentiam, quia licet conueniat ipsi hæc particula descriptionis: nimirum *significare cum tempore*, tamen non cõpetit ipsi altera particula, nimirum *& est semper eorum, quæ de altero dicuntur nota*. Alij respondent distinguendo antecedens: significat amorem competere alicui ratione verbi, quod inuoluitur in ipso, concedo; alia ratione, nego. Itaque quia idem est *amans* ac *est amans*, ideo ratione ly *est*, quod inuoluitur in illo participio, significat amorem competere alicui pro tempore præsentis.

Vtraque hæc responsio est probabilis. Prima mihi magis placet, quia si per illam particulam distingueretur participium à verbo, frustra adderetur vltima illa particula *est semper eorum quæ de altero dicuntur nota*: cuius sensus est, quod verbum significet prædicatum aliquod competere subiecto, & hinc dicitur habere rationem copulæ & propositionem constare duobus extremis, hoc est prædicato ac subiecto, & copula, hoc est verbo.

CAPVT VI.

De Oratione.

1. *C*ommuniter admittitur tanquam bona definitio orationis, quam tradit Philosophus c. 4. de interpr. nimirum quod sit *vox significatiua ad placitum*

Quid oratio.

cuius

Quid nomen.

Quid verbum.

Quid significare tempus.

Quid consignificare tempus.

Quid significare cum tempore.

Cur excluditur casus obliqui à ratione nominis.

Cur participium non sit verbum.

cuius pars aliqua separatim significat, ut dictio & non affirmatio aut negatio. Dicitur vox significatiua ad placitum in quo tanquam in genere conuenit cum nomine & verbo, quamuis reuera oratio non sit eodem modo vox quo nomen & verbum, quia tam nomen, quam verbum est simplex, oratio vero est vox composita ex pluribus vocibus. Dicitur cuius pars aliqua separatim significat per quod distinguitur tanquam per differentiam a nomine & verbo. Sensus autem est quod oratio debet esse vox composita ex talibus partibus quarum aliqua secundum se sumpta significet idem ipsum quod significat ut coniuncta cum aliis partibus ex quibus constat oratio; unde patet has esse orationes: homo iustus, Deus Optimus Maximus, Christus resurrexit: quia homo, Deus, Christus, quæ sunt partes harum orationum idem significant secundum se sumpta, ac in illis orationibus. Hæc vox autem Dominus ut significat possessorem alicuius rei, aut hominem in dignitate constitutum, non est oratio, sed nomen, quia licet pars istius vocis, nimirum prima syllaba Do seorsum sumpta significet dare, & altera pars nimirum minus significet aliud, nimirum non tantum, tamen non significant illa, ut sunt partes istius vocis Dominus; unde quamuis non haberent illam significationem, adhuc vox Dominus significaret possessorem rei, aut hominem in dignitate constitutum, neque enim ideo quis vocatur Dominus quia dat minus, ut est evidens.

Hinc patet vocem *Respublica* non esse orationem, sed nomen, quia licet prima syllaba *Res* & secunda *publica* separatim significant, & possint componere hanc orationem *res publica*; tamen non significant idem extra illam vocem quod significant in illa voce, nam in illa voce utraque syllaba significat congregationem hominum talem vel talē: *res* autem *publica* significat aliquid aut spectas ad rem publicam, aut quod non sit secretum, unde quamuis *Res* per se nihil significaret, nec *publica*: tamen vox *res publica* posset habere illam significationem.

Addit præterea Philosophus, quod pars aliqua orationis debeat significare aliquid, ut dictio, & non ut affirmatio vel negatio, maioris explicationis gratia, ad significandum, quod non sit necessarium ut pars orationis debeat significare aliquid per modum propositionis affirmatiuæ, aut negatiuæ; sed quod debeat aliqua pars eius aliquid significare per modum dictionis simplicis. Per hoc autem non intendit, quod pars aliqua orationis alicuius, non debeat posse significare per modum propositionis aut enunciationis; nam hæc oratio *Deus est bonus & est amandus*, & tamē hæc pars ipsius *Deus est bonus* significat per modum propositionis; sed vult tantum quod id non sit necessarium, sed quod sit necessarium semper quod aliqua pars significet, ut dictio, id quod etiam patet esse verum in illa ipsa oratione: nam ly *Deus*, quæ est pars eius, significat ut dictio & non per modum propositionis.

3. Aduertendum hic primo, quod quando plures voces imponuntur ad significandam vnicam omnino rem, non constituent orationem, unde Alexander magnus, ut capitur pro filio Philippi Macedoniæ Regis, non est oratio, nec summus Pontifex, ut capitur pro Papa; & huius ratio potest desumi ex definitione ipsa orationis, quia cum istæ voces imponantur ad significandam vnā rem, partes earum seorsum non possunt significare idem quod significant, ut sunt partes.

4. Aduertendum præterea, quod partes ex quibus constat oratio & quarum aliqua posset seorsum aliquid significare, debeant habere connexionē aliquam constructionis, aut significationis inter se, ratione cuius dici debeant aliquid vnum, unde hæc voces *Petrus*, *Paulus* non sunt oratio, nec homo lapis; bene tamen lapis Petri, *Petrus filius Pauli*, homo sedens supra petram, & similia.

5. Aduertendum denique, quod oratio diuidatur in perfectam, & imperfectam: perfecta est quæ generat perfectum sensum in mente intelligentis terminos seu partes eius ut *Deus est amandus*, *Vtinam essem in cælo*; *obseruanda*; *noli peccare*, & similes, quæ cum proferuntur, non relinquuntur animus audientis suspensus ex natura orationis. Oratio imperfecta est quæ non generat perfectum sensum ut homo iustus, si essem in cælo.

etum sensum ut homo iustus, si essem in cælo.

Rursus oratio perfecta diuiditur in enunciativam, & non enunciativam: enunciativa conuenit cum propositione, de qua postea, & hæc est oratio, quæ spectat ad Logicā, & ratione cuius in ea agitur de oratione ut sic. Non enunciativa est, quæ non est propositio, ut *utinam essem bonus religiosus*! declina à malo, & fac bonum, quando apparebo in conspectu Dei?

CAPVT VII.

De modo sciendi ut sic.

Modus sciendi ut sic communiter describitur esse oratio ignoti manifestatiua. Dicitur oratio, quia in hoc, tanquam in genere, conuenit cum orationibus quibuscunque, quæ non sunt ignoti manifestatiuæ. Dicitur ignoti manifestatiua, quia per hoc tanquam per differentiam distinguitur ab orationibus, quæ non sunt ignoti manifestatiuæ. Ut autem melius intelligantur hæc particule.

Aduertendum est, illud, quod est ignotum, aut esse aliquam propositionem, quæ ex terminis suis non apparet esse vera vel falsa, ut si alicui nescienti an panis sit albus, proponatur illa propositio: panis est albus, erit enim ipsi omnino ignota, & propterea si petatur ab ipso sit ne vera necne, dicit se nescire. Aut erit aliqua res simplex, quæ si proponatur intellectui aut non erit ipsi notum, quæ sit natura eius; aut non erit ipsi notum quot partes habeat: si res ignota sit propositio aliqua, tunc non relinquuntur intellectui vlla via ad ipsam cognoscendam præter reuelationem alicuius, aut discursum: quia vero id quod cognoscitur per reuelationem, aut cognoscitur per reuelationem diuinam, & spectat ad Theologiam; aut per reuelationem creatam, & spectat ad fidem humanam, quæ est cognitio imperfecta, & non spectans ad scientias, & quia etiam non sunt necessaria aliqua præcepta artificialia ut non erremus in credendo, inde est quod iste modus cognoscendi non spectet ad Logicam.

2. Si propositio ignota non sit credenda propter reuelationem, sed per discursum, tum discursus ille, quo cognoscitur, dicitur modus sciendi ipsam, & quia potest esse aliquis discursus bonus & recte concludens & aliquis malus ac male concludens, & quia possunt dari aliquæ regulæ per quas cognosci possit quinam discursus sit bonus & quis malus, hinc hic modus sciendi spectat ad Logicam.

Si res ignota sit simplex, & non propositio aliqua & ignoretur natura eius, modus quo possit deueniri in cognitionem eius, erit definitio, de qua in sequenti capite agemus: si verd ignoretur partes talis rei, modus cognoscendi erit diuisio, de qua in capite nono, quoniam autem tam in definiendo, quam in diuidendo possunt committi errores, hinc uterque modus cognoscendi spectat ad Logicā.

3. Hinc patet modum seu instrumentum sciendi, ut sic, spectans ad Logicam esse orationem, quæ ex natura sua intrinseca nata est deducere intellectum in cognitionem alienius rei, si aliās esset ipsi ignota. Dixi, si aliās esset ipsi ignota, quia non est necesse quod oratio ignoti manifestatiua manifestet aliquid, quod actu sit ignotum, aut quod possit esse ignotum absque illa oratione, quia etiam si omnis intellectus cognosceret necessario hominem esse risibilem ex eo quod videret ipsum esse rationale; tamen adhuc hæc oratio quidquid ridet est risibile, homo ridet, ergo est risibilis, esset oratio ignoti manifestatiua. In hoc ergo sensu explicanda & intelligenda est communis descriptio modi sciendi, ut sic ad Logicam spectantis.

Hinc patet secundò non esse alios modos sciendi quā tres, definitionē scilicet, diuisionē, & argumentationē, & cōsequenter male additā ab Auerſa hic enunciationem tanquam quartū modū sciendi, neque enim vlla propositio potest ex natura sua manifestare aliquid aliud si aliās esset ignotum, nisi vel in illa ponatur definitio rei, vel per illam diuidatur res, vel per eam discursus procedatur ad cognitionē rei, unde nulla propositio manifestat ignotum nisi in virtute definitionis, diuisionis aut argumentationis.

CAPVT VIII.

De Definitione.

Communis descriptio definitionis est, quod sit oratio manifestatiua rei ignotæ quod ad naturam. Dicitur manifestatiua rei ignotæ quod ad naturam. Dicitur manifestatiua rei ignotæ quod ad naturam. Dicitur manifestatiua rei ignotæ quod ad naturam.

Oratio perfecta enunciativa quid. Quid non enunciativa.

Quid in modo sciendi.

Tres tantum modi sciendi.

Propositio non est modus sciendi.

Quid definitio.

Plures voces significantes vnā rem non faciunt orationē

Partes orationis debent habere vnionem constructionis inter se.

Quid perfecta oratio.

Quid imperfecta oratio.

oratio manifestatur rei ignote, quia in hoc tanquam in genere convenit cum diuisione & argumentatione. Dicitur quoad naturam, quia per hoc tanquam per differentiam differt a diuisione, quæ manifestat partes rei, modo declarando inferius, & ab argumentatione quæ manifestat non naturam alicuius rei simplicis, sed an aliqua propositio sit vera, vel falsa. Solet autem explicari natura rei tripliciter: primo secundum quod significatur per nomen aliquod confuso modo, ut si explicaretur quid sit homo, dicendo quod sit res habens manus, pedes, caput cum tali ordine, & dispositione, cum quali concepimus communiter homines, & hæc definitio vocatur definitio quid nominis, & est satis imperfecta; nec re vera ita explicat naturam rei alicuius, quam proponit significatum vocis alicuius, unde ad huiusmodi definitionem reducenda videntur explanationes vocum secundum etymologiam seu derivationem earum ab aliis nominibus, ut si dicat quis quod lapis significet substantiam illam, quæ solet communiter lædere pedes nudos inter iter agendum.

Secundum manifestatur natura rei, quando proponitur proprietas eius, & definitio, qua hoc fit, vocatur descriptiva ad differentiam alterius definitionis statim explicandæ: exemplum autem huiusmodi descriptionis est, si quis explicet naturam hominis, dicendo, quod si animal risibile, aut admirabile.

Tertio denique manifestatur natura rei, quando proponuntur partes essentielles eius, ut si quis dicat quod homo sit animal rationale, & hæc est perfectissima definitio & quidditatiua, quia explicat essentiam rei, ipsam proponendo intellectui.

2. Quia verò res multæ possunt considerari, & secundum partes physicas v.g. materiam & formam physicam, & secundum partes metaphysicas, hoc est genus & differentiam, hinc duplex potest assignari definitio quidditatiua, una physica, quæ proponit partes physicas, ut si dicatur quod homo sit aliquid constans corpore & anima rationali; altera metaphysica, quæ proponit partes metaphysicas, ut si dicatur quod homo sit animal rationale: hinc patet illud non posse definiti, nec definitione physica, quod non habet partes physicas, ut sunt Deus, Angeli, materia prima, albedo, similitudo, &c. nec definitione metaphysica, quod non habet partes metaphysicas, unde ens ut sic nequit definiti proprie, quia dicitur vnicui simplicissimum conceptum, nec propterea habet partes essentielles, aut metaphysicas, aut physicas; potest tamen explicari definitione quid nominis per orationem aliquam, quæ manifestet ad quid significandum erat illud nomen impositum, ut si cui ignaro lingue latine, & petenti quid significaret nomen Latinum ens, aliquis id quouis modo explicaret, aut per aliam orationem Latinam, aut per orationem in lingua aliena.

3. Ut verò aliquis possit cognoscere quando definitio est bona, & quando non, advertenda sunt conditiones definitionis bonæ communiter admittæ. Prima est quod definitio debet esse clarius definitio. Per definitum intelligitur res illa cuius natura est explicanda per definitionem. Huius conditionis necessitas patet ex eo, quod si non sit clarius, sed vel obscurior, vel æque obscura, non possit manifestare naturam definiti. v.g. si quis nesciat quid sit homo, & aliquis dicat quod sit animal humanum, id est habens operationes, aut partes hominis, pessime definit hominem, quicunque enim ignorat quid significet homo, aut quid sit, ignorabit etiam quid significet, aut quid sit animal habens operationes, aut proprietates hominis, ut manifestum est.

Hæc tamen conditio videtur spectare ad definitionem verbalem. Si autem reducatur ad definitionem realem & obiectivam, sensus erit quod definitio obiectiva, seu conceptus ipsi correspondens debeat magis deferre ad distinctionem rei definitæ ab aliis rebus quæ conceptus ille confusus qui habetur de illa re, ut importatur per nomen confusum v.g. ut definiatur homo, seu animal illud, quod significatur per nomen homo, quatenus significatur per illud nomen, hoc est quatenus est aliqua res habens tales partes integrales externas, debet haberi aliquis alius conceptus, qui magis intimus sit ipsi, & propterea magis delectetur ad distinguendum illam rem ab aliis rebus, quam

ille conceptus imperfectus, & confusus.

4. Secunda conditio est quod definitio debeat conneri cum definito, id est debeat esse talis, ut de quocumque prædicatur definitum, de eo debeat prædicari definitio, & de quocumque prædicatur definitio, debeat prædicari posse definitum. Defectu huius conditionis hæc non est bona definitio hominis: homo est animal, quia licet de quocumque prædicatur homo, prædicetur etiam animal, tamen non de quocumque prædicatur animal, prædicatur homo, neque enim potest dici de bruto quod sit homo, licet dicatur de ipso quod sit animal. Ratio autem cur adesse debeat hæc conditio est, quia alias non explicabitur natura rei sic, ut possit aliquis habere conceptum proprium definiti, quo possit distingui ab aliis omnibus rebus, neque enim per hoc, quod cognoscamus hominem, ut animal præcise, possumus cognoscere ipsum, ut est quid distincta natura à bruto.

5. Tertia conditio est, quod non sit diminuta, tunc autem definitio est diminuta, quando non continet omnia quæ sunt necessaria ad cognoscendam naturam rei, sic ut possit cognosci cum quibus particulariter convenit, & à quibus differt. Defectu huius conditionis hæc non est bona definitio hominis: homo est rationalis: nec hæc etiam: homo est rationalis, quævis institueretur vox rationalis, tanquam nomen substantiæ significans substantiam corpoream potest discurre, sicut instituta est vox animal ad significandam substantiam corpoream potentem sentire; quamvis enim illis descriptionibus convenirent duæ primæ conditiones, nam in primis clariore essent, & deinde cõuerterentur cum definito; tamen reuera non sufficenter declararent naturam definiti, quia per illam definitionem non possemus cognoscere quod esset animal, aut vivens omni genere vitæ quæ vivit de facto, nec consequenter quod haberet convenientiam aliquam specialem cum plantis, aut brutis, propter quam rationem etiam non bene describeretur esse substantia rationalis.

6. Hinc patet verum esse tum quod omnis bona definitio essentialis metaphysica debeat constare genere & differentia, quia nec genus sufficit propter defectum secundæ conditionis, nec differentia sola propter defectum tertiæ: tum præterea quod illud genus: quod ponitur in definitione, debeat esse includens actum, & formaliter omnes alias differentias præter differentiam quæ adiungitur ipsi in definitione, quia alias relinqueretur aliqua pars essentialis.

7. Aduerte autem, quod si quis veller definire, aut describere aliquam rem præcise in ordine ad determinandam illam ab omnibus aliis rebus determinatis, quod tum posset sufficere genus remotum cum differentia ultima, unde hoc modo bene describeretur homo esse substantia corporea rationalis.

Quarta denique & ultima conditio est quod definitio non contineat superfluum. Defectu huius conditionis hæc esset mala definitio hominis: homo est animal rationale bipes, quia frustra additur bipes. Tunc autem definitio continet superfluum, quando continet aliquam particulam, qua non posita adhuc æque sufficienter declararetur natura rei, sic ut possit cognosci cum quibus rebus convenit & à quibus differt, ac si poneretur.

Hæc sunt conditiones definitionis quidditatiuæ: conditiones autem descriptivæ sunt ut sit clarius definitio cõueribilis, & sine superfluitate: tertia conditio de diminutione non adeo requiritur, modo non sit tam diminuta, quin sit conueribilis cum descripto.

Ne vero, quis frustra labore in inquirenda alicuius rei definitione, quæ definiti nequeat, breuiter subiungere placeat conditiones quæ requiruntur ad hoc, ut aliquis possit proprie definiti, eas autem desumo ex DD. in 4. dist. 1. q. 2. Prima est, quod debeat esse ens reale, quia licet ens rationis possit definiti definitione large accepta pro oratione explicata naturam rei quomodocumque, tamen quandoquid non habeat verum esse, nec veram consequenter naturam, non potest definiti definitione stricte accepta, quæ est oratio verum esse rei manifestans ex Philosopho 1. Topic. Propter defectum etiam huius conditionis negationes & priuationes stricte definiti non possunt.

Secunda

Quot
modis
solet ex-
plicari
natura
rei.

Secunda
conditio

Tertia
conditio

Quarta
conditio

Quinta
possunt
definiti.

Secunda quod debeat esse quid vnum per se & non sit vnum per accidens, quale est album, & omne concretum accidentale, nec aggregatum ex pluribus entibus non subordinatis sibi inuicem, vt est aceruus lapidum; quauis enim huiusmodi entia possint cognosci & explicari etiā suo modo, tamē secundum Philosophū 7. Met. c. 3. definitio rigorosa non datur nisi entis vnus per se.

Tertia cōditio est quod habeat plures cōceptus, quorū vnus possit habere rationem generis, & alter rationē differentiae, quia cum definitio proprie dicta debeat constare genere & differentia, patet, id quod possit definiti, debere includere duos conceptus tales, & hinc ens vt sic nequit proprie definiti.

Quarta cōditio quod sit quid vniuersale, quia definitio est ratio explicans quod quid est rei, hoc est praedicata essentialia ipsius: singularitas autem non est de essentia rei singularis; & praeterea quia non potest de facto haberi vllus conceptus de vllō singulari, quo mediante possit aliquis ipsum distinguere ab omnibus aliis rebus ita quin possit proponi aliqua alia res, inter quam & ipsum non posset distinguere; vnde cum definitio debet esse oratio ita explicans naturā rei vt per eā possit quis distinguere rē definitā à quacunque alia re, sequitur nō posse definiti vllum indiuiduum aut singulare, quā tale.

CAPVT XI. De Diuisione.

Quid diuisio.

Diuisio de qua hic agimus est oratio manifestans partes alicuius totius aut, quod idem est in re, est oratio totum in suas partes distribuens. Illud autem totum quod diuiditur, vocatur diuisum, & partes, in quas diuiditur vocantur membra diuidentia, vnde quando dicitur quod animal diuiditur in rationale & irrationale, aut quod animalium aliud sit rationale, aliud irrationale: diuiditur animal in suas partes subiectiuas & ipsummet est diuisum, partes vero illae sunt membra diuidentia, nimirum animal rationale & irrationale.

Primum genus diuisionis.

Multa autē sunt genera diuisionū, quae breuiter proponenda sunt. Primum genus diuisionis est, quā diuiditur aliquod superius seu vniuersale in sua inferiora, & haec vocatur diuisio totius potentialis in partes subiectiuas: vocatur autem superius totum potenziale ad differentia totius actualis, quia totum actuale includit actualiter & intrinsece suas partes; totum autem potenziale non includit actualiter & intrinsece partes suas subiectiuas, quia non sunt de ratione formali eius, nec constitutiuā actualia ipsius; neque enim homo est de ratione formali animalis; nec pars intrinseca ipsius. Haec diuisio cōprehendit tā diuisionē generis in species, qualis est illa, quā diuiditur animal in hominē & brutum: quā speciei in indiuidua, qualis est diuisio hominis in Petrum & Paulum, &c. quā etiam diuisionem transcendentis in sua inferiora: qualis est entis vt sic, substantiam & accidens.

Secundū genus.

2. Secundum genus diuisionis est quā diuiditur totū actuale in partes ex quibus actualiter cōponitur, & haec diuisio subdividitur in diuisiones totius integralis & totius essentialis. Totum integrale est, quod cōstituitur ex partibus integrantibus, quae scilicet solent esse extra se inuicem & quarum neutra est forma alterius, vt homo, quatenus cōponitur ex manibus, pedibus, & capite, &c. aqua, quatenus componitur ex hac, & illa parte aquae, quarum qualibet per se est aqua. Diuisio huiusmodi totius vocatur diuisio totius integralis in partes integrales, vt si diceretur: hominis partes sunt manus, pes, caput; aut partium hominis alia est manus, alia pes, alia caput, &c. Quod si partes huiusmodi sunt eiusdem rationis, totum integrale vocatur homogeneum, id est, constans partibus homogeneis, siue eiusdem rationis, & tale totum est aqua, quatenus componitur ex hac & illa parte aquae, quarum qualibet est aqua. Si vero partes sunt diuersae rationis, totum constatum ex illis vocatur heterogeneum, hoc est, constans ex partibus heterogeneis, seu diuersae rationis, vt est homo, quatenus est quid cōstitutum ex manibus, pedibus, capite, &c.

Quid diuisio totius actualis in partes actuales.

3. Totum essentialis est, quod cōstituitur ex partibus, quarum vna est per se in potentia ad alteram, & altera est per se actus illius & forma, & quarum qualibet ita

Quid diuisio totius actualis in partes actuales.

4. Tercium genus diuisionis est, quā diuiditur totum accidentale in suas partes, & haec diuisio est triplex, prima est subiecti in accidentia, vt hominū alius est albus, alius est niger: in qua diuisione assignantur plura subiecta eiusdem rationis affecta variis accidentibus. Secūda est accidentis in subiecta, vt alborū aliud est homo, aliud lac; in qua assignantur subiecta diuersae rationis affecta accidentibus eiusdem rationis. Tertia est accidentia in accidentia, vt si dicam: alborum aliud dulce, aliud amarum: in qua diuisione assignantur plura accidentia eiusdem rationis coniuncta esse pluribus aliis accidentibus diuersae rationis v.g. plures albedines, quarum aliqua coniungitur cum dulcedine, alia cum amaritudine.

Quid heterogeneum.

5. Aduertendum verō hic, quod illa accidentia, in quae diuiditur aliud accidens, nō debent esse inferiora istius accidentis, quia alias esset diuisio superioris in inferiora, vnde quando diuiditur color in albedinem, & nigredinem, dicendo: colorum alius est albedo, alius nigredo, diuisio est superioris in inferiora, & non accidentis in accidentia, vt in hoc vltimo genere diuisionis agimus de diuisione accidentis in accidentia.

Quid diuisio totius essentialis in partes actuales.

6. Porro, vt diuisio sit bona debet habere sequentes condiciones, vnde quae caruerit vlla ex illis, non est bona absolute, & simpliciter. Prima est, quod diuisum latius pateat, quam vllum ex membris diuidentibus, hoc est, quod possit dici de aliquo, de quo nullum determinatum ex diuidentibus dici possit. Hanc conditionem habet diuisio animalis in rationale & irrationale, nam animal potest dici de homine, de quo non potest dici, quod sit irrationale, & potest dici de bruto, de quo non potest dici, quod sit homo: hanc autem conditionē non habet haec alia diuisio animalis in sensitiuum, & irrationale, quia de nullo potest dici animal, de quo non potest dici, quod sit sensitiuum, vnde sensitiuum aequale patet, ac animal, nec mirum cum sit differentia constitutiuā ipsius. Haec conditio vniuersaliter habetur quotiescunque superius diuiditur in inferiora.

Quid diuisio totius essentialis in partes actuales.

7. Secunda conditio est, quod diuisum non latius pateat quam omnia membra diuidentia, hoc est, quod nō habeat alia membra diuidentia praeter illa. Haec etiam conditio conuenit diuisioni animalis in rationale, & irrationale, neque enim datur vllum animal, quod non sit rationale, & irrationale: non conuenit autē diuisioni animalis in rationale, & hinnibile, quia dantur animalia, quae non sūt nec rationalia, nec hinnibilia, vt Leo, ouis, &c. vnde haec diuisio esset mala, sicut & haec alia, quā diuideretur homo, vt totum integrale, in manus & pedes, quia praeter illas partes habet alias, vt caput, cor, renes, &c.

Quid diuisio totius essentialis in partes actuales.

8. Tertia conditio est, quod membra diuidentia inter se oppo

requiritur ad constitutionem istius totius, vt ea ablata non maneat essentia istius totius: huiusmodi totum est duplex, vnum physicum, & est, quod cōstituitur ex partibus huiusmodi physicis, hoc est, realiter distinctis, vt est homo quatenus est cōstitutus ex anima & corpore: aqua, quatenus est cōstitutata ex materia & forma: & diuisio huiusmodi totius vocatur diuisio totius physici in partes physicas, qualis diuisio est haec: partium physicarum hominis alia est anima, alia corpus.

Alterū totum est metaphysicum, & est quod cōstituitur ex partibus essentialibus metaphysicis, hoc est, non realiter distinctis, vt homo, quatenus cōstituitur ex animalitate & rationalitate, & diuisio talis totius vocatur diuisio totius metaphysici in partes metaphysicas, vt si dicatur: partium metaphysicarū hominis alia est animalitas, alia rationalitas, & ex his partibus cōstat definitio rei: definitio enim hominis est, quod sit animal rationale.

4. Tercium genus diuisionis est, quā diuiditur totum accidentale in suas partes, & haec diuisio est triplex, prima est subiecti in accidentia, vt hominū alius est albus, alius est niger: in qua diuisione assignantur plura subiecta eiusdem rationis affecta variis accidentibus. Secūda est accidentis in subiecta, vt alborū aliud est homo, aliud lac; in qua assignantur subiecta diuersae rationis affecta accidentibus eiusdem rationis. Tertia est accidentia in accidentia, vt si dicam: alborum aliud dulce, aliud amarum: in qua diuisione assignantur plura accidentia eiusdem rationis coniuncta esse pluribus aliis accidentibus diuersae rationis v.g. plures albedines, quarum aliqua coniungitur cum dulcedine, alia cum amaritudine.

Aduertendum verō hic, quod illa accidentia, in quae diuiditur aliud accidens, nō debent esse inferiora istius accidentis, quia alias esset diuisio superioris in inferiora, vnde quando diuiditur color in albedinem, & nigredinem, dicendo: colorum alius est albedo, alius nigredo, diuisio est superioris in inferiora, & non accidentis in accidentia, vt in hoc vltimo genere diuisionis agimus de diuisione accidentis in accidentia.

5. Praeter has diuisiones datur diuisio vniuoci in vniuocata, vt animalis in rationale, & irrationale, sed haec diuisio, si ad rem ipsam reteratur, conuenit cum diuisione superioris in inferiora: si vero ad vocem reducat, est diuisio vocis vniuocae in sua significata, seu in illa, de quibus dicitur. Deinde datur diuisio aequiuoci in aequiuocata, & est diuisio vocis aequiuocae in illa de quibus dicitur secundum diuersam rationem, vt canis alius est terrestris, alius caelestis, alius marinus.

6. Porro, vt diuisio sit bona debet habere sequentes condiciones, vnde quae caruerit vlla ex illis, non est bona absolute, & simpliciter. Prima est, quod diuisum latius pateat, quam vllum ex membris diuidentibus, hoc est, quod possit dici de aliquo, de quo nullum determinatum ex diuidentibus dici possit. Hanc conditionem habet diuisio animalis in rationale & irrationale, nam animal potest dici de homine, de quo non potest dici, quod sit irrationale, & potest dici de bruto, de quo non potest dici, quod sit homo: hanc autem conditionē non habet haec alia diuisio animalis in sensitiuum, & irrationale, quia de nullo potest dici animal, de quo non potest dici, quod sit sensitiuum, vnde sensitiuum aequale patet, ac animal, nec mirum cum sit differentia constitutiuā ipsius. Haec conditio vniuersaliter habetur quotiescunque superius diuiditur in inferiora.

7. Secunda conditio est, quod diuisum non latius pateat quam omnia membra diuidentia, hoc est, quod nō habeat alia membra diuidentia praeter illa. Haec etiam conditio conuenit diuisioni animalis in rationale, & irrationale, neque enim datur vllum animal, quod non sit rationale, & irrationale: non conuenit autē diuisioni animalis in rationale, & hinnibile, quia dantur animalia, quae non sūt nec rationalia, nec hinnibilia, vt Leo, ouis, &c. vnde haec diuisio esset mala, sicut & haec alia, quā diuideretur homo, vt totum integrale, in manus & pedes, quia praeter illas partes habet alias, vt caput, cor, renes, &c.

8. Tertia conditio est, quod membra diuidentia inter se oppo

Diuisio totius metaphysici in partes metaphysicas.

Diuisio subiecti in accidentia.

Diuisio accidentis in subiecta. Diuisio accidentis in accidentia.

Diuisio vniuoci in vniuocata.

Diuisio aequiuoci in aequiuocata.

Prima conditio bonae diuisionis.

Secunda cōditio.

Tertia conditio. opponantur, ita scilicet, ut & habeant aliquam diuersitatem inter se, aut distinctionem, quia alias non essent membra distincta: & præterea quod vnum ex ipsis non includatur in altero, tanquam pars ipsius: hæc etiam conditio habetur in diuisione animalis in rationale & irrationale, sed non in diuisione, qua diuideretur animal in hominem & Petrum, nec in hominem & rationale.

Quarta conditio.

9. *Quarta* denique *conditio* est, quod diuisio non fiat in nimis multa membra, quia generaretur magna confusio, ut si quis diuideret animal in rationale, equinum, bouinum, elephantinum, & reliquas species, enumerando singulas. Hinc consilium est, ut cum diuisum plura sub se continet, prius diuidatur in propinquiora, & hæc in alia: sic diuidimus animal prius in rationale & irrationale: & irrationale in pedestre, & non pedestre: & pedestre in bipes, & quadrupes, &c. Hinc etiam, vel consilium, vel regula est, ut diuisio bona fiat per duo membra immediatè: sed licet omnis diuisio posset reduci ad duo membra: tamen non est necesse, ut id semper fiat: & certe differentia ut sic diuiditur in propriam, communem, & propriissimam: vniuersalem ut sic in quinq; species: anima ut sic, in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem.

CAPVT X.

Quid sit, & quomplex est propositio.

Quid est propositio.

1. *Propositio*, y t hic de ea agitur, ab omnibus describitur esse oratio, in qua aliquid de alio affirmatur, vel negatur: ut cum dicitur: homo est animal, homo non est lapis. Quamuis autem hæc descriptio in hoc sensu sit bona, quod reuera omnis oratio, qua aliquid de alio affirmatur, sit propositio, & quod etiam omnis oratio, qua aliquid de alio negatur, sit similiter propositio: & quod non possit assignari vlla propositio in particulari, qua vel non negetur, vel non affirmetur aliquid de aliquo: nec aliud quam hoc auctores communiter intelligant per prædictam descriptionem: tamen videri posset non esse satis exacta descriptio propositionis ut sic, communis vniuersæ propositioni affirmatiuæ, & negatiuæ, quia non significatur per eam ratio propositionis ut sic, ut abstrahit à suis speciebus: quotiescumque autem describitur bene aliquid commune, debet definitio ipsius abstrahere à rationibus particularibus.

2. Confirmatur primò, quia quotiescumque bene definitur aliquid commune: si definitio sit bona, poterit bene poni in definitione inferioris cuiuscunque, sed definitio prædicta non rectè ponitur in definitione propositionis affirmatiuæ aut negatiuæ: neque enim bene aut cum sensu diceretur: propositio affirmatiua est propositio, qua aliquid de alio affirmatur aut negatur: quando quidem redundaret seu superflueret illud aut negatur: ergo non bene definitur propositio, ut sic, prædicta definitione.

Confirmatur secundo, quia si quis vellet definire animam ut sic, dicendo, quod esset forma, quæ esset principium vel vegetandi, vel sentiendi, vel discurrendi, male definirer illam: sed prorsus eadem est ratio de hac descriptione, ac de iam præmissa: ergo non videtur præmissa descriptio esse satis exacta, nec vlla alia, quæ datur disiunctiue per particulam *vel* aut æquiualem.

Melior descriptio propositio n s.

3. Itaque melius describeretur propositio vocalis ut sic esse oratio, qua significatur iudiciū intellectus de aliqua re: & propositio mentalis formalis esse iudiciū intellectus de re aliqua: & propositio obiectiua esse totum obiectum cōplexum circa quod fertur iudiciū: quia vero intellectus habet duplex iudiciū de rebus, vnum quo affirmat aliquid de aliquo, quod est iudiciū affirmatiuum, & aliud quo negat, quod est iudiciū negatiuum: hinc propositio vocalis ut sic optime diuiditur tãquam genus in species in propositionem affirmatiuam, qualis est: homo est animal, qua significatur iudiciū intellectus affirmatiuum, quo indicat quod homo, sit animal: & in propositionem negatiuam, quæ est oratio significans iudiciū negatiuum, quo intellectus indicat aliquid non esse aliud, ut homo non est doctus. Et si iterum queratur quid est iudiciū ut sic, quo iudicamus de re. Respondet esse illud in quo particulariter conuenit iudiciū negatiuum & affirmatiuum magis inter se quam cum aliis

actibus intellectus, quod sane magis quisque potest propria experientia discernere quàm verbis exprimere alteri.

4. Quandoquidè vero non detur vlla propositio à parte rei, quæ non sit vel affirmatiua, vel negatiua, & per affirmatiuam propositionem asseritur aliquid de aliquo, ac per negatiuam negatur aliquid de aliquo, sequitur in omni propositione interuenire & prædicatum, quod est illud, quod asseritur, vel negatur, & subiectum, quod est illud, de quo aliquid affirmatur vel negatur: & verbum seu copulam, ut vocant quod est illud, mediante quo aliquid affirmatur vel negatur: v.g. in his propositionibus: Deus est bonus, Deus non est iniustus: subiectum est *Deus*, copula seu verbum est *ly est*, & prædicatum primæ propositionis est *bonus*, secundæ *iniustus*.

Aliquando autem prædicatū non ponitur explicite in oratione vocali, sed implicite inuoluitur in verbo, ut quando dicitur: homo existit, homo prædicat, homo docet: in quibus propositionibus solum ponitur explicite homo, quod est subiectum, & verba *existit*, *prædicat*, *docet*, sed implicite tamen inuoluntur in verbo prædicata hæc: *existens*, *prædicans*, *docens*: sensus enim illarum propositionum est, quod homo est existens, est prædicans, est docens. Aliquando vero ponitur prædicatum explicite, ut cum dicitur homo est animal.

5. Hinc prima diuisio propositionis est in propositionem de tertio adiacente, qualis est omnis propositio, in qua prædicatum explicite ponitur, & in propositionem de secundo adiacente, qualis est omnis propositio, in qua non ponitur explicite prædicatum, ut homo docet: quorum terminorum non est exigenda alia ratio, quam consensus auctorum, qui in re arbitraria poterant uti quibusuis terminis.

6. Secunda diuisio propositionis est in categoricam seu simplicem, & hypotheticam seu compositam. *Propositio categorica* est illa in qua de aliquo vno subiecto vel affirmatur vel negatur absolute aliquod vnum prædicatum absque coniunctione conditionali vel causali, ut *homo est iustus*, *homo qui est iustus est gratus Deo*, *homo iustus est dignus vita æterna*, quæ est *promissa filiis Dei*: *hominem esse animal est necesse*. Hæc propositio categorica subiuiditur in absolutam & modalem. *Propositio categorica modalis* est illa, in qua de aliqua propositione, tanquam de subiecto, prædicatur aliquis ex his quatuor modis, *Contingens*, *Necesse*, *Possibile*, *Impossibile*, ut *hominem esse animal est necessarium*, &c. *Propositio categorica absoluta*, seu non modalis, est omnis propositio categorica, in qua de aliqua propositione, tanquam de subiecto, non prædicatur aliquis ex illis modis, ut *homo est animal*, *homo est doctus*, & huiusmodi propositiones à summulistis vocari solent propositiones de *in esse*.

7. *Propositio hypothetica* est propositio, in qua de aliquo vno subiecto non prædicatur absolute aliquod vnum prædicatum absque coniunctione conditionali aut causali, ut *Petrus est risibilis, si est rationalis*. *Petrus quia est risibilis est rationalis*. *Propositio hypothetica* diuiditur in copulatiuam, disiunctiuam, conditionalem, rationalem: placuit enim rationalem à conditionali distinguere, quāuis ab aliis ad eam reducatur. *Propositio copulatiua* est propositio composita ex pluribus categoricis copulatis mediante coniunctione & aut nec, vel æquivalenti, ut *homo est iustus & brutum est irrationale*. Nec brutum est nobilius homine, nec homo Angelo: Ad veritatē huius propositionis requiritur, quod omnis propositio categorica, qua constat, sit vera: ad falsitatem sufficit quod vlla ex illis sit falsa, vnde hæc est vera: *homo est animal & brutum est animal*, quia vtraque propositio categorica est vera, hæc vero propositio est falsa: nec homo est irrationalis, nec brutum irrationale, quia licet prima categorica sit vera, secunda tamen est falsa.

8. Dubitant auctores, an huiusmodi propositio sit vera species propositionis distincta specie à categorica, aliqui dicunt esse, aliqui negant, asserentes non esse aliud, quā aggregatum ex pluribus categoricis: vnde sicut duo homines non sunt distinctæ species ab vno homine, ita nec hæc propositio, composita: *Petrus est bonus*, &

Quid propositio de tertio adiacente.

Quid de secundo adiacente.

Quid propositio categorica.

Quid absolutum.

Quid hypothetica.

Quid hypothetica copulatiua.

Paulus

Quid
hypo-
thetica
rationa-
lis.

Quid
qualitas
oposi-
tionis esse
essentialis.
Quid ac-
cidenta-

Et si dicas has duas propositiones esse æquivalentes: homo non est animal, & homo est non animal; sed hæc vltima est affirmatiua, ergo & prima, & consequenter propositio affirmatiua, & negatiua non magis distinguuntur quam duæ aliquæ affirmatiuæ.

Respondeo negando maiorem; non enim sunt æquivalentes, quamuis vna sequatur ex altera; nam in prima datur solum intelligi, quod homo non sit animal, in secunda autem significatur, quod sit aliquid aliud quod opponitur animali.

Item di-
uisio in
veram &
falsam.

17. Dico secundò, quod diuisio propositionis in verã, & falsam sit etiam generis in species, ex suppositione, quod vna propositio non posset transire de vera in falsam; ex suppositione autem quod posset, non esset diuisio generis in species, sed subiecti in diuersa accidentia, quæ posset ipsi competere: quantum autem ad illam suppositionem, licet existimè quod propositio, quæ semel est vera, non possit de potentia Dei absoluta esse falsa, tamè sentio, quod propositio, quæ est vera, simpliciter loquendo possit esse falsa, casu scilicet quo haberetur illa ipsa propositio in eodem instãti, & in eodem ipso obiectum nõ se haberet eodem modo, quo assereretur esse, vt si ego in hoc instãti, quo de facto Petrus est doctus, dicerè Petrũ esse doctum, cum tamen ille non esset doctus pro illo instãti; qui casus est simpliciter possibilis; vnde absolute sentio diuisiõnem propositionis in veram & falsam, nõ esse ita generis in species, quin eadem propositio in specie posset vtramque rationem habere, & consequenter veritatem, vt sic, esse merum accidens propositionis; vnde etiam sequitur quod, quando dicit Philosophus propositionem esse orationem, verum vel falsum significantem, non definiat ipsam essentialiter, sed describat tantummodo ipsam, per ordinem ac sua accidentia.

Diuisio
proposi-
tionis in
vniuersa-
lem par-
ticularem
ac singu-
larem nõ
est gene-
ris in spe-
cies.

Dico tertio probabile esse, quod diuisio propositionis in vniuersalem, particularem, ac singularem, nõ sit generis in species, quia licet vniuersalis essentialiter respiciat plura obiecta, quam singularis; tamè illa plura obiecta, non sunt necessario specie distincta ab obiecto, quod respicitur à singulari: nam quando dico: *omnis homo est animal*, nõ respicio aliquod obiectum distinctum specie ab eo quod respicio, quando dico: *Petrus est animal*; neque enim omnis homo distinguitur specie à Petro, sicut nec calor duorum pedum distinguitur à calore vnius pedis. Sed hoc satis est de re parum vtili, & intelligendum est potissimum de propositionibus formalibus; & de vocalibus tantum, vt supponunt pro formalibus.

CAPVT XI.

De oppositione propositionum absolutarum categoricarum.

Quid op-
positio
proposi-
tionũ ca-
gorica-
rum.

Intelligimus hic per propositiones categoricas absolutas illas, quæ neque sunt hypotheticæ, neque modales, de quibus capite præcedenti: oppositio autem huiusmodi propositionum est duarum propositionum eodem subiecto & prædicato constantium disconuenientia in qualitate aut quantitate aut vtraque simul.

Tunc habent propositiones disconuenientiam in quantitate, quando vna est particularis, altera vniuersalis, vt *omnis homo est animal*, *aliquis homo est animal*. Tunc habent oppositionem in qualitate, quando vna est negatiua, altera affirmatiua, (loquimur enim hic de qualitate essentiali) vt *omnis homo est animal*, *nullus homo est animal*, aut *omnis homo est animal*, *aliquis homo non est animal*. Tum habent oppositionem in qualitate & quantitate simul, quando vna est affirmatiua, altera negatiua, & vna vniuersalis, altera particularis, vt *omnis homo est animal*, *aliquis homo non est animal*.

Dictum est in descriptione huiusmodi oppositionis, quod propositiones oppositæ debeant constare eodem subiecto & prædicato, quod intelligendum est de eodem subiecto & prædicato in eadem suppositione, ampliatiõne, restrictiõne diminutione, alienatione acceptis, sine vlla diuersitate præter illam, quæ oritur ex eo quod non sunt eiusdem quantitatis & qualitatis.

Quadruplex est
oppositio hæc.

2. Ex hac descriptione hoc modo explicata patet quadruplicem esse oppositionem propositionũ simplicium,

nam aut vna est particularis, & altera vniuersalis feruata eadem qualitate, vt est inter has: *omnis homo est animal*, *aliquis homo est animal*; & etiam has: *omnis homo non est brutum*, *aliquis homo non est brutum*, & hæc oppositio vocatur oppositio subalterna, & est minima omnium oppositionum, quandoquidem habeant tam necessariam connexionem illæ propositiones, quæ sic sequuntur, vt vna ex illis sequatur necessario ex altera, nimirum particularis ex vniuersali, in qua comprehenditur.

Opposi-
tio sub-
alterna
quid.

Aut vna est vniuersalis & altera particularis, mutata qualitate, vt est inter has: *omnis homo non est doctus*, *aliquis homo est doctus*; & has: *nullus homo est doctus*, *aliquis homo est doctus*, & hæc vocatur oppositio contradictoria & est maxima oppositio, quia impossibile est vt huiusmodi propositiones sint simul veræ aut simul falsæ.


Quid
contradi-
ctoria.

Aut vtraque est vniuersalis, sed vna affirmatiua altera negatiua, vt est inter has: *omnis homo est doctus*, *nullus homo est doctus*, & hæc vocatur contraria, & est satis magna oppositio, quandoquidem vtraque in nulla materia possit vnquam esse vera, sed ex veritate vnius necessario sequatur falsitas alterius, licet in materia contingenti vtraque possit esse falsa, vt patet in prædicto exemplo, cuius, vtraque propositio de facto est falsa.

Quid
contra-
ria.

Aut denique vtraque est particularis, sed vna affirmatiua & altera negatiua, vt est inter has: *aliquis homo est doctus*, *aliquis homo non est doctus*, & hæc vocatur subcontraria, estque satis magna, quandoquidem nunquam possunt esse simul falsæ, licet in materia contingenti possunt esse simul veræ: vocantur autem subcontrariæ, quia continentur sub propositionibus contrariè oppositis. Claritatis autem gratia, omnium harum oppositionum schema hic proponendum duxi cum cæteris authoribus communiter.

Quid
subcon-
traria.



3. Aduertendum autem hic, quod quando subiectum propositionis est terminus singularis supponens pro vna determinata re, & idem ipse terminus est subiectum alterius propositionis oppositæ, quod oppositio reducatur ad contradictoriã, licet neutra ex propositionibus sit singularis; vnde harum propositionum oppositio est contradictoria: *Petrus, aut hic homo currit*, *Petrus aut hic homo non currit*, quia vtraque simul nunquam vera potest esse aut falsa, sed semper ad veritatem cuiusvis sequitur falsitas alterius, & ad falsitatem cuiusvis veritas alterius.

Aduertendum vltius ex signis mixtis hæc, vterque neuter, æquivalere signis vniuersalibus quantum ad faciendâs propositiones oppositas contrariæ, alter vero signo particulari, vnde hæ propositiones opponuntur contrariè, vterque est doctus, neuter est doctus; hæ vero contradictoriæ, vterque est doctus, alter non est doctus, & neuter est doctus, alter est doctus; hæ denique subcontrariæ, alter est doctus, alter non est doctus.

Quantum ad leges harum oppositionum, sunt illæ quas antea indicaui, nimirum prima est quod contradictoriæ propositiones nequeant esse simul veræ aut falsæ, cuius ratio est, quod alias idem de eodem simul negaretur & affirmaretur, quod est contra primum principium ex terminis euidens.

Prima
lex harũ
oppositio-
num.

Secunda, quod contrariæ non possunt esse simul veræ in vlla materia, nec simul falsæ in materia necessaria, bene tamen in materia contingenti, cuius ratio est quan-
tum

Secunda.

De æquipollentia propositionum categoricarum simplicium.

istorias esse simul veras; si enim est verum, quod omnis homo sit animal, est verum, quod aliquis homo sit animal; & consequenter si sit verum, quod nullus homo sit animal, sequeretur quod hæc contradictoriæ simul essent veræ: *nullus homo est animal, aliquis homo est animal*. Et hæc eadem ratio probat, quod non possunt esse simul veræ, quod omnis homo sit animal, quia in materia necessaria, si vna propositio particularis sit vera, propositio vniuersalis, cui subalternatur debet esse vera, v.g. si verum sit, quod Petrus aut aliquis homo sit animal, debet esse verum, quod omnis homo sit animal, quia de vno ac de omnibus est eadem ratio; quare quandoquidem, si falsum sit, quod nullus homo sit animal, contradictorium eius debeat esse verum, nimirum quod aliquis homo sit animal, sequitur manifeste quod necessario verum debeat esse, quod omnis homo sit animal, & sic non possunt contrariæ propositiones esse simul falsæ in materia necessaria. Sed quia in materia contingenti non sequitur ex eo, quod aliquis homo sit doctus, quod omnis homo debeat esse doctus; bene potest fieri quod sit falsum, quod nullus homo sit doctus simul quod contradictorium sit verum, nempe quod aliquis homo sit doctus, sine eo quod sequatur verum esse omnem hominem esse doctum, quia non est eadem ratio de vno ac de omnibus quantum ad prædicata contingentia, inde fit ut contraria possint esse simul falsæ in materia contingenti.

6. Tertia lex est, quod subcontrariæ possint esse simul veræ in materia contingenti, nunquam tamen possint esse simul falsæ in vlla materia, nec simul veræ in materia necessaria. Ratio primæ partis est, quod quandoquidem non sit eadem ratio de omnibus particularibus contentis sub aliquo communi quantum ad prædicata contingentia, bene potest fieri quod de vno particulari vere prædicetur aliquando prædicatum contingens, & de alio vere negetur, id quod certum est de doctrina respectu hominis, quis enim dubitet quin aliquis homo sit doctus, & aliquis non sit doctus. Ratio secundæ partis est, quod si subcontrariæ sint falsæ, contradictoriæ earum essent simul veræ; contradictoriæ autem sunt contrariæ, & sic contrariæ essent simul veræ, contra dicta paulo ante, v.g. si falsum sit, quod aliquis homo sit doctus, & quod aliquis homo non sit doctus, sequitur verum esse, quod omnis homo sit doctus, & nullus homo sit doctus, quæ sunt contradictoriæ illarum subalternarum & inter se contrariæ. Ratio tertiæ partis est, quod quandoquidem quodcumque prædicatum necessario conuenit aut non conuenit vni particulari, debeat competere omni aut non competere, si verum sit quod conuenit vni, non potest esse verum quod non competat alteri, & si verum sit quod non conuenit vni, non potest esse verum quod conueniat alteri, ut est euidentius.

7. Quarta denique lex est, quod subcontrariæ debeant esse simul veræ aut simul falsæ in materia necessaria, in materia vero contingenti potest vna esse vera, altera falsa; sed qualis est vniuersalis, talis debet esse particularis in omni materia. Ratio primæ partis est, quia in omni materia particularis debet esse talis, qualis est vniuersalis, quando quidem hæc comprehendat illam, & præterea particularis in materia necessaria æquiualeat vniuersali, ergo in materia necessaria & particularis debet esse talis qualis vniuersalis, & vniuersalis talis qualis particularis; & sic vtrique debet esse simul vera aut simul falsa. Ratio secundæ partis est, quia quandoquidem quantum ad prædicata contingentia non sit eadem ratio de vno singulari ac de reliquis, bene potest aliquid verificari de vno, quod non verificatur de omnibus, & consequenter particularis potest esse vera, quamvis vniuersalis sit falsa. Ratio denique tertiæ partis est quia, ut ante dixi, vniuersalis comprehendit particularem, unde si sit vera aut falsa in quacumque materia, particularis etiam vera esse debet aut falsa conformiter.

Adduci solent aliquæ instantiæ contra has regulas, sed quia facile solui possunt, seruata semper eadem suppositione, appellatione, &c. non videntur adiungenda.

1. **A** E quipollentia propositionum, de qua hic agimus est æquiualeantia aliquarum propositionum ratione additionis aut ablationis alicuius negationis, quæ aliis essent oppositæ: v.g. quia hæc duæ propositiones eandem omnino significationem ac vim habent, & indifferenter altera pro altera accipi potest in quocumque discursu: *non omnis homo est doctus: aliquis homo non est doctus*, ratione signi non præpositi subiecto primæ propositionis; quo dempto propositiones illæ non essent æquiuales, sed omnino contradictoriæ; propterea illæ duæ propositiones sunt æquipollentes.

2. Ut autem sciatur quomodo propositiones oppositæ possint reddi æquiuales, respiciendum est ad sequens vulgare carmen.

Præ contradic, Post contra, Præpostque subalter.
Cuius carminis sensus est, quod ut contradictoriæ propositiones reddantur æquiuales præponenda sit negatio subiecto, cuiusvis ex illis, tunc enim erunt æquiuales, v.g. hæc sunt contradictoriæ: *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*, fient autem æquipollentes, si vel soli primæ præponatur negatio dicendo: *non omnis homo est animal*; vel soli secundæ, dicendo: *non aliquis homo non est animal*. Hoc est ergo quod vult prima pars carminis prædicti nimirum, *Præ contradic*. Secunda pars, nempe, *Post contra*, vult dicere, quod ad faciendas propositiones contrarias æquiuales, postponenda sit negatio subiecto cuiusvis ex illis: v.g. hæc sunt contrariæ: *omnis homo est animal, nullus homo est animal*; fient autem æquipollentes, si postponatur negatio siue soli subiecto primæ propositionis dicendo: *omnis homo non est animal*; siue postponatur soli subiecto secundæ propositionis dicendo: *nullus homo non est animal*.

3. Circa hoc tamen obiter aduerto: quamvis hæc regula à Summulistis in sensu iam præmissio vniuersaliter acceptetur, mihi tamen videri si proprietatem linguæ Latine spectemus, non æquiualeant hanc propositionem: *omnis homo non est doctus*, huic propositioni: *nullus homo doctus*, quia reuera illa prima Latine considerata non significat nisi quod non sit verum quod omnis omnino homo sit doctus, quæ propositio non æquiualeat illi alteri, nullus homo est doctus; bene tamen altera illa propositio: *nullus homo non est doctus*, æquiualeat illi: *omnis homo est doctus*. Itaque si rigorem solum linguæ Latine spectaremus, sensus huius particulæ *Post contra*, esse deberet, quod ut contrariæ reddantur æquiuales, postponenda sit negatio subiecto propositionis negatiuæ. Si vero spectetur institutio particularis Dialecticorum, sensus erit ille, quem primò posuimus, nimirum quod postponi possit negatio cuiuslibet propositionis subiecto, siue affirmatiuæ, siue negatiuæ.

4. Tertia denique & vltima pars carminis, nimirum *Præpostque subalter*, vult dicere, quod ut subalternæ reddantur æquiuales, addendæ sint duæ negationes subiecto cuiuslibet ex illis, vna ante ipsum, altera post ipsum; v.g. hæc sunt subalternæ: *omnis homo est doctus, aliquis homo est doctus*; fient autem æquiuales addendo duas negationes siue subiecto primæ dicendo sic: *non omnis homo non est doctus*; siue subiecto secundæ propositionis dicendo sic: *non aliquis homo est doctus*.

5. Non ponitur regula vlla pro subcontrariis, quia si præponeretur affirmatiuæ negatio, propositio non esset æquiualeant alteri subcontrariæ; esset enim vniuersalis negatiua, v.g. si præponatur negatio huic subcontrariæ: *aliquis homo est albus*, dicendo: *non aliquis homo est albus*, æquiualebit huic propositioni negatiuæ: *nullus homo non est albus*; & si postponatur negatio dicendo: *aliquis homo non est albus*, erit eadem propositio cum subcontrariæ, & non æquiualeant ipsi; si autem præponatur & postponatur dicendo: *aliquis homo non est albus*, erit æquiualeant propositioni huic affirmatiuæ vniuersali: *omnis homo est albus*. Rursus si præponatur huic propositioni subcontrariæ negatiuæ, *aliquis homo non est doctus*, negatio, æquiualebit

Quid æquipollentia propositionum.

Quomodo possunt propositiones oppositæ fieri æquiuales.

æquialebit huic propositioni vniuersali affirmatiuæ: *omnis homo est doctus*: Si autem postponatur dicendo: *aliquis homo non est doctus*, quamuis æquialeat alteri subalternæ, tamen non est in vfu talis modus loquendi: Si etiam præponeretur & postponeretur dicendo: *non aliquis homo non est doctus*, nec modus loquendi est in vfu, & præterea æquialeret vniuersali negatiuæ. Pro complemento huius æquivalentiæ, quam habent propositiones, aduertendi sunt sequentes versus, in quibus, quæ signa aliis signis æquipolleant, iuxta Summulistas specificatur.

Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus.
Nonnullus, quidam non: nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus: non quidam non valet omnis.
Neuter, uterque non: neuter non, est & uterque.
Non alter, neuter: non alter non, quoque uterque.

Ad quorum versu explicationem & applicationem sciendum, quod nihil aliud velint, quam quod qualibet duæ propositiones ex infra scriptis æquivalent, & similes omnes consequenter. *Non omnis homo est animal, quidam homo non est animal: omnis homo non est animal, nullus homo est animal.* (Hæc tamen æquivalentia, vt supra monui, magis est ex vfu Summulistarum, quam ex rigore sermonis Latini.) *Nonnullus homo est bonus, quidam homo est bonus: nullus homo non est bonus, omnis homo est bonus: non aliquis homo est bonus, nullus homo est bonus: non quidam homo non est bonus, omnis homo est bonus: uterque non est bonus, neuter est bonus.* Hæc etiam æquivalentia non videtur esse ex proprietate linguæ Latinæ, quia reuera quamuis uterque non esset bonus, alter ex illis posset esse bonus, & hoc supposito non esset verum, quod neuter esset bonus; vnde non videntur æquivalere: *uterque non est bonus, & neuter est bonus*, cum vna posset esse vera, & altera simul falsa. Itaq; videtur esse æquivalentes tantum ex instituto Summulistarum veterum: *non alter duorum hominum est bonus, neuter illorum est bonus, non alter duorum hominum non est bonus, uterque eorum est bonus.*

6. Aduertendum porro, quia quo plures negationes ponuntur in propositione, eo redditur obscurior, inter discurrendum non debere propositionem pauciores habentem negationes, mutari in æquivalentem per additionem negationum, sed potius e contra pro maiori claritate consultius esset, vt propositio plures habens negationes mutaretur in æquivalentem per subtractionem negationum; vnde inconsulto quis mutaret hanc propositionem: *omnis homo est animal*, in hanc aliam: *non quidam homo non est animal*, aut in hanc: *nullus homo non est animal*; sed potius hæc duæ deberent mutari in primam. & vniuersaliter propositiones intricatæ & obscure prudenter mutarentur in clariores, sic enim vis discursus melius intelligeretur.

Aduerte præterea, qui bene caller aliquam linguam, bene etiam scire, quæ propositiones in ea lingua sint æquivalentes iuxta illius linguæ proprietatem, nec ad hoc aliqua eum indigere regula. Quod si dubitaretur de aliquibus propositionibus, vtrum essent æquivalentes, quæstio non posset esse alia quam de nomine, vnde ad rem ipsam examinandam parum conducunt hæc regulæ de æquipollentia desumpta ab his signis.

CAPVT XIII.

De conuersione propositionum simplicium.

Quid conuersio.

Conuersio, vt hic de ea agitur, est talis commutatio extremorum propositionis, seruata eadem qualitate essentiali; vt si propositio, cuius extrema conuertuntur, fuit vera, etiam altera propositio coalescens ex extremis commutatis sit vera; vt si hanc propositionem, *nullus homo est doctus*, conuertam in hanc, *nullus doctus est homo*. Itaque ad conuersionem requiruntur duæ propositiones, & propositio, cuius extrema mutantur, quæ dicitur conuersa, & propositio coalescens ex extremis

commutatis quæ dicitur conuertens. Huiusmodi autem conuersio potest fieri tripliciter: primò sic, vt seruetur eadem quantitas in propositione conuersa, & conuertente; ita scilicet, vt vtrique sit vniuersalis, aut particularis; & hæc conuersio vocatur simplex, & propositio sic conuersa dicitur conuerti simpliciter. Hoc modo potest conuerti omnis propositio vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua; bene enim sequitur, *nullus homo est animal* ergo *nullum animal est homo*; quarum propositio-
 nium prima, quæ est vniuersalis negatiua, conuertitur simpliciter in secundam, quæ etiam est vniuersalis negatiua constans iisdem extremis, quibus constabat prima, sed inuersis, & seruata eadem qualitate essentiali. Similiter bene sequitur: *aliquis homo est animal*, aut *doctus*, ergo *aliquod animal*, aut *aliquis doctus est homo*; quarum propositio-
 nium prima, quæ est particularis affirmatiua, conuertitur simpliciter in secundam, quæ etiam est particularis affirmatiua, constans iisdem terminis, sed inuersis, & seruata eadem qualitate essentiali. Non potest autem hoc modo conuerti vniuersalis affirmatiua, aut particularis negatiua; neque enim valet dicere: *omnis homo est animal*, ergo *omne animal est homo*; neque etiam valet dicere: *aliquod animal non est homo*, ergo *aliquis homo non est animal*.

Tripliciter sit.

Quid conuersio simplex.

2. Secundo modo potest fieri conuersio sic, vt maneat eadem qualitas essentialis, non verò eadem quantitas; sed aut vniuersalis conuertatur in particularem, aut particularis in vniuersalem, mutatis tamen extremis, vt in conuersione simplici: hæc conuersio vocatur per accidens, & propositio sic conuersa dicitur conuerti per accidens; hoc modo potest conuerti vniuersalis negatiua & affirmatiua; bene enim sequitur: *nullus homo est brutum*, ergo *aliquod brutum non est homo*; vbi conuertitur vniuersalis negatiua per accidens in particularem negatiuam. Similiter bene sequitur: *omnis homo est animal* aut *doctus*, ergo *aliquod animal* aut *aliquis doctus est homo*; non potest autem hoc modo conuerti particularis affirmatiua aut negatiua, neque enim sequitur: *aliquis homo est animal*, ergo *omne animal est homo*; neque sequitur: *aliquis homo non est doctus*, ergo *nullus doctus est homo*.

Quid conuersio per accidens.

3. Tertio denique modo potest fieri conuersio propositionum sic; vt mutantur extrema, vt in aliis conuersionibus, & seruetur eadem quantitas & qualitas, sed præponatur tamen cuilibet ex extremis negatio. Hæc conuersio vocatur conuersio per contrapositionem, & propositio sic conuersa dicitur conuerti per contrapositionem. Hoc modo conuertitur vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, bene enim sequitur: *omnis homo est animal*, ergo *omne non animal est non homo*; vbi sit conuersio primæ propositionis vniuersalis affirmatiuæ in secundam, quæ etiam est vniuersalis affirmatiua, manentibus iisdem extremis sed inuersis, & præposita cuilibet negatione. Similiter bene sequitur: *aliquis homo non est doctus*, ergo *aliquod non doctum non est non homo*, vbi prima propositio, quæ est particularis negatiua, conuertitur in alteram, quæ est etiam particularis negatiua inuersis terminis, & præposita cuilibet negatione.

Quid conuersio per contrapositionem.

4. Non potest autem hoc modo conuerti propositio vniuersalis negatiua, aut particularis affirmatiua, quia non sequitur: *nullus homo est brutum*, ergo *nullum non brutum est non homo*; lapis enim est non brutum, & tamen est non homo, similiter non sequitur: *aliquis homo est doctus*, ergo *aliquod non doctum est non homo*; quauis enim hæc propositio sit vera, tamen veritas eius non sequitur ex illa altera; nam si per impossibile nihil esset non doctum præter homines, tum esset falsa illa secunda propositio, & tamen esset vera prima: quotiescumque autem veritas vnius propositionis sequitur ex alia, non potest fingi casus, in quo illa sit falsa, quin sequatur ex illo casu alteram esse falsam.

Est etiam alia ratio cur non fiat conuersio per contrapositionem hoc modo, quia scilicet quando vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua conuertuntur simpliciter, quicquid sequitur ex qualibet ex illis, sequitur etiam ex sua conuertente, & e contra; vnde vt inferretur

ferretur hæc propositio, *aliquid non homo est non ens* ex hac propositione, *aliquid ens est homo*, non esset necessarium inuertere terminos, quia tam sequi debet ex illa non inuersa; quam ex illa inuersa.

Aduerte autem, quod propositiones hoc modo conuertendæ debeant constare terminis finitis, vt constant propositiones conuersæ in prædictis exemplis. Quod si propositio conuertenda constaret terminis infinitis, vt constant propositiones conuertetes in prædictis exemplis v.g. *omne non animal est non homo, aliquid non doctum non est non homo* conuersio deberet fieri per inuersionem extremorum & ablationem negationum præpositarum extremis.

6. Ex dictis constat quæ propositiones qualibet conuersione conuerti possint, vt id tamen melius insigatur memoria, excogitatum est sequens distichon

F E c I simpliciter conuertitur. *E n A* per acci.

A s t O per contra: sic fit conuersio tota.

Pro cuius intelligentia aduertendum est per quatuor vocales *A. E. I. O.* repertas in illis vocabulis *f E c I. E n A. A s t O.* significari quatuor propositiones diuersæ rationis; per *A* enim significatur vniuersalis affirmatiua; per *E* vniuersalis negatiua; per *I* particularis affirmatiua; per *O* particularis negatiua; quod etiam denotatur sequenti disticho.

Asserit *A* negat *E* verum vniuersaliter ambæ.

Asserit *I* negat *O* sed particulariter ambo.

Sensus ergo prioris distichi est quod *f E c I*, id est vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua denotatur per *E* & *I* quibus constat illa dictio, conuertantur simpliciter & quod *E n A*, id est vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua significatur per *E* & *A*. quibus constat illa dictio, conuertantur per accidens; & denique quod *A & O*, id est vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua significatur per *A* & *O*. quibus constat illa dictio, conuerti possunt per contrapositionem.

C A P V T X I V.

De propositionibus modalibus.

1. Propositiones modales sunt illæ, in quibus de aliqua propositione prædicatur aliquis ex his quatuor modis, *Necessarius, Contingens, Possibile, & Impossibile* vt Petrum esse doctum est necessarium aut contingens &c. vnde huiusmodi propositionum prædicata sunt illi modi & propositio, de qua prædicantur, est subiectum, vocaturque à Summulistis *Dictum*, vnde etiam vltius qualitas tam essentialis, quæ est affirmatio vel negatio, quam accidentalis, quæ est veritas vel falsitas harum propositionum, desumenda est ex modo præcipuo, & non ex parte propositionis, quæ est subiectum seu *Dictum*; quare hæc propositio, *aliquem hominem esse doctum est necessarium*, est falsa propositio, quia licet verum sit, quod aliquis homo sit doctus, tamen falsum est, quod id sit necessarium, cum possit fieri quod nullus homo sit doctus. Rursus hæc propositio, *aliquem hominem non esse brutum est necessarium*, est affirmatiua, quia licet negetur brutum de homine, tamen modus *necessarium* asseritur de illa negatione, vt ita dicam.

2. Præterea quantitas peculiaris harum propositionum ex modo desumitur, nam propositiones quæcunque huiusmodi, in quibus prædicatur *necessarium* aut *impossibile* sunt vniuersales, quomodocunque se habet propositio, quæ est dictum: propositiones vero, in quibus prædicantur alij duo modi, nempe *possibile* aut *contingens*, sunt particulares: cuius ratio assignatur, quod vniuersalitas aut particularitas harum propositionum sit vniuersalitas temporis, quo significatur prædicatum dicti competere aut non competere subiecto eiusdem dicti;

quia ergo quando dico, quod necessarium sit omnem hominem esse animal, & quod impossibile sit omnem hominem non esse animal, significo quod nullum sit tempus, in quo non possit dici, quod homo sit animal, & in quo possit dici quod non sit animal: propterea illi modi sunt vniuersales; quia vero quando dico, *contingens est hominem esse doctum, possibile est hominem esse doctum*, non significo per hoc, quod homo sit doctus pro omni tempore, sed sufficit ad veritatem illarum propositionum, quod sit doctus aliquo tempore, hinc modi illi dicuntur particulares.

Quemadmodum ergo in propositionibus simplicibus *omnis* & *nullus* sunt signa vniuersalia, & *quidam* & *aliquis* particularia, ita in modalibus *impossibile* & *necessarium* sunt signa vniuersalia, *possibile* & *contingens*, particularia; & quemadmodum in simplicibus negatio præposita signis vniuersalibus facit ea particularia, & negatio præposita particularibus facit illa vniuersalia; nam *non omnis* idem est ac *quidam non*; *non nullus* idem est ac *quidam*; *non aliquis* idem est ac *nullus*. Sic etiam, quando præponitur negatio modis vniuersalibus his, redduntur particulares, & quando præponitur modis particularibus, redduntur vniuersales; vnde hæc propositiones sunt particulares: *omnem hominem esse doctum non est necessarium*, *omnem hominem esse doctum non est impossibile*; & similiter hæc propositiones sunt vniuersales: *omnem hominem esse brutum non est contingens*.


3. Vt autem æquipollentia & oppositio propositionum modalium intelligatur, aduertendum est propositionem modalem posse esse affirmatiuam de dicto & modo, vt *aliquem hominem esse animal est possibile* & negatiuam de dicto & modo, vt *aliquem hominem non esse animal non est possibile*, & negatiuam de dicto, ac affirmatiuam de modo, vt *aliquem hominem non esse doctum est possibile*; & denique affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo, vt *aliquem hominem esse doctum non est impossibile*.

Præterea aduertenda sunt hæc quatuor vocabula, *Purpurea, Amabimus, Iliace, Edentuli*, quæ constant quattuor syllabis & quatuor vocalibus, nimirum *A. E. I. V.* quæ vocales significant qualitatem propositionum modalium tam ex parte dicti quam ex parte modi; *A* enim significat, quod propositio ex vtraque parte sit affirmatiua. *E* significat, quod propositio sit negatiua ex parte dicti tantum, & non ex parte modi. *I* significat propositionem esse negatiuam ex parte modi tantum, & non ex parte dicti. *V* denique significat propositionem esse negatiuam ex vtraque parte tam dicti quam modi: ad quod retinendum in memoria excogitatus est sequens versus.

E. dictum negat, I. que modum, nihil A. sed V. totum.

Itaque iuxta quatuor syllabas prædictorum vocabulorum consiciendæ sunt quatuor propositiones modales correspondentes singulis vocalibus istius qualitatis quæ significat littera cuiuslibet syllabæ, ita tamen, vt modus correspondens primæ syllabæ sit *possibile* secundæ, *contingens*, tertiæ *impossibile*, quartæ *necessarium*. Ex his autem propositionibus quatuor correspondentes cuiuslibet vocabulo erunt æquipollentes. Propositiones correspondentes vocabulo *Purpurea* erunt contrariæ propositionibus correspondentibus vocabulo *Iliace*; & propositiones correspondentes vocabulo *Amabimus* erunt subcontrariæ propositionibus correspondentibus vocabulo *Edentuli*. Propositiones vero correspondentes *Purpurea* erunt contradictoriæ propositionibus correspondentibus *Edentuli*, sicut & propositiones correspondentes *Iliace* erunt contradictoriæ propositionibus correspondentibus *Amabimus*. Denique propositiones correspondentes *Purpurea* & *Amabimus* erunt subcontrariæ, sicut & propositiones correspondentes *Iliace* & *Edentuli*, quod totum in sequenti schemate facile videre est.

Quæ
propositi-
ones
modales
sunt sibi
æquipol-
lentes.
Et quæ
oppositæ



5. Hic tamen observandum, quod *ly contingens* idem omnino hic significet ac *possibile*, quamvis enim ex sua cōmuni institutione significet illud, quod possit ita adesse, ut possit etiā abesse, & sic non conveniat in significatione cum *ly possibile*, quod significat illud quod potest adesse, siue possit oppositum contingere, siue non; tamē in hac materia pro eodē sumūtur, alias nō essent hæ duæ propositiones æquivalentes: *omne hominē esse animal est possibile*, & *omne hominē esse animal est contingens*; hæc enim ultima esset falsa, & prima vera, unde in rigore non sunt æquipollentes etiam, sed potius synonymæ propositiones, sicut hæ duæ: *gladius est bonus*, *ensis est bonus*. Quare merito posset vnus ex illis duobus modis omitti, & loco quatuor prædictorū vocabulorū posset excogitari aliud triū syllabarū, aut ex illis ipsis deleri vna hoc modo *Purea*, *Abimus*, *Ilace*, *Dentuli*, ac cōformiter confici tabula. Sed quia res est parui momenti, non videtur discedendū à tabula, ac vocabulis cōmunibus, neque in his ipsis anxie sollicitos esse velim tyrones, quia reuera vix veniunt vnquā in vsum, & facile quis expertus linguæ Latine ex se potest cognoscere significationē huiusmodi propositionū, & quoties de re ageretur, ac dubitaretur de æquipollentia, conueniendum esset semper cum aduersario.

Circa harum autem propositionum conuersionem observandæ sunt regulæ superius positæ pro conuersione propositionum simplicium, sed observandum præterea, quod transmutatio debeat fieri ex parte dicti, manente modo in suo loco tam in conuertente quam in conuersa, & quod iuxta vniuersalitatem vel particularitatem dicti conuersio sit faciendā.

6. His pro fine addo, quod licet Cōplutenses cū aliquibus antiquis Summulistis ponant differētiā inter has propositiones modales, *cacū videre est possibile*, *cacū possibile videt*, quasi sensus prioris esset cōpositus, nimirū talis, ut significaretur per eā, quod Petrus simul cū cecitate posset habere visū; sensus vero posterioris sit diuissus, ita scilicet, ut significet, quod qui est cecus posset habere visum, nō tamen simul cum cecitate, atq; ex prædictis propositionibus prima sit falsa, secunda vera; & quāvis nō sit dubiū quin posset ille propositiones instrui sic, ut haberent illam diuersam significationem, tamen reuera quantū ad rigore sermonis Latini, & vsum, etiā grauissimorum Theologorū, idem omnino significant, & quolibet ex ipsis potest capi in sensu diuiso ac cōposito, & consequenter quolibet ex ipsis potest esse vera, vel falsa; unde cōsultius esset, quādo dubitaretur quo sensu pro-

ferretur, distinguere illas. Quod autē antiquiores aliqui Summulistæ vti sunt illa Cōplutensium distinctione inter illas propositiones ipsorum particulari institutioni attribuendum est, sicut & illa distinctio quam ponebant inter *Regē vidi*, & *vidi Regē*, quæ iam in desuetudinem, & merito abiit, cum multis aliis eorundem observationibus, nec vlla prorsus Theologica difficultas potest depēdere ab illa distinctione, quidquid dicant Cōplutenses.

CAPVT XV.

De exponibilibus.

Propositio exponibilis est propositio, quæ ob obscuritatem suam indiget exponi per aliam propositionē vnā, aut plures, ex eo quod inuoluat plures propositiones. Ex his quædam sunt exclusiue, nimirum quæ constant aliqua particula exclusiua, ut *selum*, *tantum*, ut *homo tantum est animal rationale*, *homo solū est animal rationale*; quæ propositiones exponuntur per has propositiones, *homo est animal rationale*, & *nihil aliud præter hominē est animal rationale*. Aliquando verò hæc particula exclusiua ponitur ex parte subiecti, ut in exemplis iam illatis; aliquando se habet ex parte prædicati, ut in hac propositione, *homo essentialiter est tantum animal rationale*, & tunc exponi debet hoc modo: *cōuenit homini essentialiter esse animal rationale*, & *nihil aliud cōuenit ipsi essentialiter*. Aduertendum autem non posse bene colligi ex colloca-tione particulæ exclusiue, ex qua parte se teneat, sed id colligendum est, vel ex reliquo discursu antecedenti, aut consequenti, vel ex modo proferendi propositionē, vel ex fine proferentis illā vel ex aliquo alio capite: quando autem est incertum, distingui debet propositio.

2. Quædā aliæ propositiones exponibiles vocantur *exceptiue*, & sunt quæ continent particulam præter aut *excepto*, vel similia, ut omnia animalia sunt irrationalia præter hominem, aut excepto homine, & exponi debet hoc modo, *omne animal, quod non est homo, est irrationale*, & *homo est animal*, & *tamen non est irrationale*. Differunt autem hæ propositiones ab exclusiuis, quarū particula exclusiua ponitur ex parte prædicati, quia in exceptiuis particula exceptiua ponitur semper ex parte subiecti; differunt etiam ab exclusiuis, quarū particula exclusiua ponitur ex parte subiecti, quia in illis prædicatum expresse dicitur de termino, cui adiungitur particula exclusiua; in exceptiuis verò prædicatū nō prædicatur de termino, cui adiungitur particula exceptiua, sed potius de aliis, ut patet in prædictis exemplis; in re tamē hæ duæ propositiones, quarū vna est exclusiua, & altera excepti-

Quid
proposi-
tio ex-
ponibi-
lis.
Quid ex
clusiua.

Quid ex
ceptiua.

Quid reduplicatiua.

ua videntur æquiuale. nempe *solus homo est animal rationale, & nihil aliud præter hominem est animal rationale.*

3. Aliæ denique sunt propositiones *exponibiles*, quæ dicuntur reduplicatiuæ, quia continent reduplicatiuam particulam, quales sunt in quantum, quatenus, ut, & æquiuales, ut *homo in quantum animal est sensitius, in quantum rationale differt à bruto: ut homo, est capax beatitudinis: quatenus peccator displicet Deo.*

Quid sensus reduplicatiuus proprius.

In huiusmodi autem propositionibus particula reduplicatiua aliquando significat terminum, cui adiungitur, esse causam ob quam prædicatū conuenit subiecto, ut quando dico, *homo ut, quatenus, aut in quantum rationalis, est risibilis*, nam vetū est, quod ratio, cur risibilitas conuenit homini, est rationalitas: & hic sensus est maxime proprius, & vocatur propterea sensus reduplicatiuus simpliciter. Aliquando significat solū, quod non obstante coniunctione termini reduplicati cū subiecto, adhuc prædicationem ipsi conueniat, ut cum dicitur, album, ut album, potest esse dulce, & hic sensus vocatur specificatiuus. Sed nec circa hæc etiā debent tyrones multū se fatigare, quia quoties in Philosophia occurrūt huiusmodi propositiones, solet explicari in quo dicitur, album, ut album, vix sit necesse ante de ipsis agere. Quam etiā ob causam plura alia, quæ de his propositionibus nimis sollicite à veteribus Summistis tradita sunt, & ne nimis obseruationibus memoria Auditorū confundatur, data opera omisi.

CAPVT XVI.

De Discursu.

Quid prima operatio intellectus.

1. Tres operationes diuersæ rationis competere intellectui & cōmuniter authores asserunt, & propria quisque experientia colligere potest. Prima vocatur *simplex apprehensio*, qua apprehendimus res sue simplices sine compositas, nihil de ipsis iudicando, ut quando concipimus albedinem, aut hominem aut exercitum aut acervū lapidum, aut totam hanc propositionē: *an deur materia prima an relatio distinguatur ab extremis.*

Quid secunda.

Secunda est *iudicium*, quo scilicet absque discursu asserimus aliquid esse vel non esse, ut cum dicimus, totum est maius sua parte: contradictoria non possunt esse simul vera de eodem, & quando credimus quod aliquid sit, vel non sit ob auctoritatem dicentis, (si tamen fides non sit discursiva, ut communius tenetur.)

Quid tertia.

Tertia denique operatio intellectus est *discursus*, de quo hic per se agimus, & cōmuniter deferbitur esse oratio, in qua vnū ex aliis sequitur; hoc est, est oratio composita ex pluribus propositionibus, quarū vna ex alia vel aliis sequitur, ita ut illa vel illæ propositiones, ex qua vel quibus alia sequitur, non possit esse vera, quin etiā vera sit illa, quæ sequitur. Dicitur *oratio*, ut distinguatur à termino simplici; dicitur *cōposita ex pluribus propositionibus* ut distinguatur ab oratione simplici, & propositione categorica; dicitur, *quarū vna ex alia sequitur seu inferitur*, ut distinguatur à cæteris orationibus, quæ nō sunt tales.

An conuersio sit discursus

2. Dices: conuersio, qua cōuertitur legitime vna propositio in aliam, v.g. conuersio qua cōuertitur simpliciter propositio particularis affirmatiua in aliam particulare affirmatiuam, transpositis terminis, ut cum dicitur *aliquis homo est animal, ergo aliquod animal est homo*; huiusmodi inquam cōuersio est oratio, in qua aliud ex alio sequitur, sed tamen non est discursus, ergo mala est prædicta definitio, quandoquidem conueniat aliis à definito

Respondent aliqui negando antecedens, qui quandoquidem non ponatur ullus terminus in conuertente, qui non fuit in conuersa, non potest dici stricte, quod aliud ex alio sequatur in conuersione.

Sed contra, quia quoties vna propositio sequitur ex alia, aliud ex alio sequitur, prout requiritur ad discursum, & gratis dicitur, quod illud quod sequitur sit ita aliud, ut intuldar aliquem terminum, qui non fuit in propositione, ex qua sequebatur.

Respondens ergo aliter negando minorem, nec est inconueniens quod vna & eadem oratio habeat rationem conuersionis secundū vnā considerationem, & rationem discursus secundum alteram considerationem; sic autem contingit in cōuersione, nam habet rationē con-

uersionis, quatenus conuertuntur iidem termini: sic vt faciant duas propositiones distinctæ rationis; habet autem rationem discursus, quatenus ex illis propositionibus vna sequitur ex altera.

Ad addendum ad hæc primò quod, quemadmodū propositio diuiditur in formale, obiectiuam, & vocale, ita etiā similiter diuiditur discursus in formale, obiectiuum, & vocale. Discursus formalis est processus ab vna cognitione iudicatiua ad aliā, ita ut ex eo quod intellectus habeat vnum iudiciū, determinetur ad habendum alterum iudiciū propter connexionē, quā habet obiectū vnus iudicij cum obiecto alterius. Discursus obiectiuus sunt propositiones illæ obiectiuæ, quæ habent talem connexionem inter se, vt si intellectus iudicet vnā aut plures ex illis, inde ducatur ad iudicandum alterā ex illis. Discursus deniq; vocalis est oratio correspondens discursui formali & obiectiuo, & hūc in initio huius capitis potissimum descripsimus, quamuis nihilominus descriptio illa possit accommodari discursui & formali & obiectiuo.

Addendū secundò quod quandoquidē vtamur discursu vocali ad cōuincendos, seu deducēdos alios in cognitionē rei alicuius quā alias vel ignorarent vel negaret, propterea non incōgrue vocatur talis discursus argumentū, & vsus ipsius argumentatio. Diuiditur autem discursus hic seu argumentū in quatuor species, *sylogismū* scilicet *enthymema*, *inductionem* & *exemplum*; de quibus hoc ipso ordine iam disseremus, sed diligentius de syllogismo, quia est principale argumentum, quod maxime deferuit ad conuincendum, & ad quod cætera reducuntur.

CAPVT XVII.

De Syllogismo.

1. Definitio syllogismi assignata 1. Priorū c. 1. & ab omnibus admissa est *quod sit oratio, in qua quibusdam positis aliud quid ab his, quæ posita sunt necessario accidit.* Cuius descriptionis sensus est quod syllogismus sit oratio constata ex plurib. propositionibus, quæ sic inter se, & quoad suos terminos disponūt, ut impossibile sit, quin si duæ ex ipsis sint veræ, tertia etiā, quæ ex iis inferitur, sit vera; talis est hæc oratio: *ōnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal.*

Itaq; syllogismus necessario debet cōstare tribus propositionibus quarū vna sequitur necessario ex aliis duabus ex vi ipsius formæ & dispositionis. Ex his autē propositionib. duæ illæ, ex quibus tertia inferitur, vocantur præmissæ, & ipsa tertia, quæ inferitur, vocatur conclusio seu consequens, & illatio seu deductio ipsius ex illis duabus vocatur consequentia, & significatur per cōiunctionem illatiuam *ergo* vel *ideo*, vel *igitur*, & similia.

Dicitur autē syllogismus *oratio*, quia in hoc conuenit tanquā in genere cum enthymemate & cæteris orationibus, quæ non sunt syllogismus: dicitur, *in qua quibusdam positis*, id est, in qua ponuntur plures propositiones tanquam præmissæ ad aliam inferendam, quia in hoc distinguitur ab enthymemate & conuersione, in quibus vna propositio tantum proponitur, tanquam præmissa aut antecedens ad aliam inferendam; & etiam ab Inductione, in qua licet plures propositiones proponantur tanquam antecedens, tamen conclusio non sequitur ex ipsis vi dispositionis terminorum; & per hanc eandem particulam excluditur, quicunq; syllogismus falsigraphus à ratione syllogismi hic definiti.

Quod si quæras vnde possit cōstare quod ex aliquibus propositionib. vi formæ sequatur alia propositio. Respondet hoc quod vniuersaliter in quacūq; materia, si obseruetur talis forma, necessariū sit, quod si præmissæ sint veræ, conclusio etiam sit vera; vnde quandoquidē illa cōsequentia vocatur formalis, quæ est illatio vnus propositionis ex aliis ratione formæ seu dispositionis terminorum consequentis & antecedentis; sequitur nullū argumentum aut discursū concludere formaliter præter syllogismum, & solam consequentiam syllogisticā esse formalem, præferim, si excipias consequentiā, quæ sit in conuersione. Dixi autem, si excipias hanc consequentiam, quia quandoquidē vniuersaliter in quacūque materia

Simplex discursus. Quid formalis.

Quid obiectiuus.

Quid vocalis.

Discursus diuiditur in quatuor species.

Quid syllogismus.

Quid est conclusio vi formæ.

Conuer-
sio con-
cludit vi
formæ.

Nulla
alia con-
sequen-
tia for-
malis ni-
si syllo-
gismi.

materia ex particulari affirmatiua sequitur particularis affirmatiua ex iisdem terminis inuersis, & ex vniuersali, negatiua alia vniuersalis negatiua, & sic de cæteris conuerſionibus, videtur quod consequentia talium conuerſionum sit formalis. Præter autem illam consequentiam nulla alia, nec enthymematis, nec Inductionis, nec exempli, nec syllogismi fallacis, est formalis, non quidẽ enthymematis, quia quamuis sequatur necessario ex eo quod homo sit animal, Petrum esse animal, tamen non vi formæ, sed vi materiæ, vnde illa consequentia vocatur materialis, hoc est ratione materiæ: quod autẽ non vi formæ sequatur patet, quia talis dispositio terminorum, qualis est in illo enthymemate, est etiam in hoc alio enthymemate: homo est animal, ergo baculus est animal, & tamen consequentia non valet; quæ eadem ratio probat, consequentias inductionis, exempli, & syllogismi: falsigraphi non posse esse formales, quamuis essent aliquando materiales.

3. Acriter hic disputari solet, an cõclusio ipsa sit de essentia syllogismi, & adducuntur ex Philosopho plures auctoritates pro parte negatiua & affirmatiua. Res tamen est nullius utilitatis pro tyronibus, & prouectioribus etiã parum proficiua; vnde ab eius examine abstine- dum duxi, sed breuiter significo, ex descriptione præmissæ, quæ est Philosophi, videri conclusionẽ æque ad syllogismũ pertinere ac præmissas, quia dicit syllogismum esse orationem, in qua plures sint propositiones, quarũ una ex aliis sequitur; ex quo videtur significari in syllogismo æque reperiri conclusionẽ ac præmissas, & æque eum cõstare vtriusq; vnde si ex eo, quod constet præmissis, præmissæ dicantur esse de eius essentia, quãdoquidem cõstet etiã conclusionẽ, cõclusio etiam debet esse de eius essentia; & si ex eo, quod constet conclusionẽ, conclusio dicatur esse de eius essentia, etiam ex eo, quod constet præmissis, præmissæ debent dici esse de eius essentia.

CAPVT XVIII.

De materia & forma syllogismi.

1. Q Vandoquidem conclusio syllogistica sequatur vniuersaliter in omni materia vi formæ, ac dispositionis propositionũ ac terminorũ, ex quibus cõponitur; vt cognoscatur & quomodo cõficiendus syllogismus, & quisnam syllogismus sit bonus aut bene cõfectus, vt inde possimus esse certi de veritate cõclusionis, si præmissæ sint veræ; Aduertendum est syllogismũ habere & materiam & formã. Materia syllogismi duplex est, vna remota, & sunt termini, ex quibus componuntur propositiones eius; altera proxima, & sũt ipsæmet propositiones cõstatæ ex illis terminis. Materia remota syllogismi cuiusque, id est termini, debent necessario esse tres diuersi, & non plures; vnde quandoquidem in conclusione non possunt esse plures termini, quam duo, sequitur in præmissis syllogismi debere esse aliquem terminum, qui non sit in conclusione, & præterea duos terminos conclusionis debere esse in præmissis simul cum illo tertio termino, qui non est in conclusione.

Ex his tribus terminis ille, qui non ponitur in conclusione, vocatur *medius terminus*; alij duo vocantur *extremitates*, & ex illis ille, qui ponitur in maiori, maior *extremitas*, & qui in minori ponitur, vocatur *minor extremitas*.

3. Materia proxima syllogismi, nempe propositiones, debent esse tres, quarum vna ex aliis duabus inferitur, & illa, vt ante dixi, vocatur conclusio, seu consequens, quia cõcluditur ex præmissis, & ad illas cõsequitur; alia duæ vocantur præmissæ, quia præmittuntur conclusioni ad eam inferendam, & vna ex illis vocatur maior, quæ ordinariẽ saltem primo loco proponitur; altera minor, quæ secundo loco proponitur. Hoc totum videri potest in hoc syllogismo: *omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal*, in quo terminus *homo* qui ponitur in vtraque præmissa, & non ponitur in conclusione, est medius terminus; terminus *animal* qui ponitur in prima propositione, & in conclusione, est maior extremitas; terminus *risibile*, qui ponitur in secunda propositione, & in conclusione, est minor extremitas.

Tertia propositio ergo *omne risibile est animal* est cõclusio. Prima propositio *omnis homo est animal*, est maior; secunda propositio *omne risibile est homo*, est minor.

3. Forma syllogismi est duplex, vna est dispositio materiæ remota id est terminorum, & hæc vocatur *figura syllogismi*; altera est dispositio materiæ proxima, id est propositionum, & vocatur *modus syllogismi*. Tunc autem syllogismus integre bene disponitur sic, vt præmissæ non possint esse veræ, quin conclusio sit vera, quando constat bona figura, & bono modo. Itaque syllogismus potest habere triplicem figuram, seu triplicem dispositionem illorum trium terminorum, ex quibus coalescunt eius propositiones.

4. Prima figura est, quando medium in vna ex præmissis subiicitur vni ex extremitatibus, & in altera præmissa prædicatur de altera extremitate, vt fit in hoc syllogismo: *omnis homo est discursiuus, omne risibile est homo, ergo omne risibile est discursiuus*.

Secunda figura est, quando medius terminus bis prædicatur, semel de vna extremitate in vna propositione ex præmissis, & semel de alia extremitate in altera præmissa, vt fit in hoc syllogismo: *omnis homo est viuens, nullus lapis est viuens, ergo nullus lapis est homo*.

Tertia figura est, quãdo medius terminus bis subiicitur, semel vni extremitati in vna ex præmissis, & semel alteri in altera, vt fit in hoc syllogismo: *omnis homo est animal, omnis homo est risibilis, ergo aliquod risibile est animal*.

Hæ tres figuræ significantur hoc carmine.

Sub præ, prima; bis præ, secunda; tertia bis sub.

Cuius sensus est, quod in prima figura subiicitur, & prædicatur medius terminus; in secunda bis prædicatur; in tertia bis subiicitur.

5. Modus syllogismi, id est recta dispositio propositionum, ex quibus cõstat secundum quantitatem, & qualitatem, est multiplex; sunt enim nouem boni modi spectantes ad primam figuram; quatuor ad secundam; sex ad tertiam, & omnes hi modi continentur his sequentibus versibus iam tam vulgaribus, vt mutari non debeant, quamuis commodius esset, vt mutarentur duo primi, quia abundant syllabis non necessariis, gratia carminis solum modo adiunctis; cum tamen carmina fieri possint sine illis, vt si diceretur: *Barbara Celarent Darij Ferino Baralip. Celantes Dabitis Fapesmo Frisefom*. Sed vtendum, vt dixi, versibus vulgaribus, qui sunt.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipon.

Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisefomorum.

Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.

Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Quorum versuum vsus vt intelligatur, aduertendum in quolibet vocabulo ex illis reperiri aliquas ex his quatuor vocalibus *AEIO*, quæ vocales significant qualitatem & quantitatem propositionum ex quibus in quolibet ex illis modis fieri debet syllogismus; nam *A* significat propositionem vniuersalem affirmatiuam; *E* propositionem vniuersalem negatiuam; *I* propositionem particularem affirmatiuam; *O* propositionem particularem negatiuam iuxta sequentes versus, quibus ante vsi sumus ad conuerſiones.

Asserit *A*, negat *E*, verum vniuersaliter ambæ.

Asserit *I*, negat *O*, sed particulariter ambæ.

Quia ergo ly *Barbara*, quod designat primum modũ primæ figuræ, constat tribus *A*, propterea syllogismus ipsi correspondens debet constare tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis, vt est hic: *omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal*.

Et quia *Cesare*, qui designat primum modum secundæ figuræ constat duobus *E*, & vno *A*, propterea syllogismus ipsi conformis debet constare duabus propositionibus negatiuis vniuersalibus, & vna affirmatiua vniuersali; & prima propositio, quæ est maior, est negatiua; secunda, quæ est minor, affirmatiua; & tertia, quæ est conclusio, debet esse negatiua.

Aduertendum autem vltimam syllabam, quæ est in *Baralipon*, nimirum *on*, & duas vltimas, quæ sunt in *Frisefomorum*, nimirum *orum* non habere vim vllam quantum

Quid
forma
syllogi-
smi.
Quid fi-
gura.
Quid
modus.
Simplex
figura
syllogi-
smi.

Quot
modos
bonus
syllogis-
mus ha-
bere
possit.

Quid
materia
syllogis-
mi re-
mota.

Quis
medius
termi-
nus.
Quæ
sunt ex-
tremi-
tates. Quæ
materia
proxima
syllogi-
smi.

quantum ad dispositionem syllogismorum ipsis complementem; addita enim sunt carminis supplendi gratia.

Aduertendum secundo quatuor primos modos primæ figuræ vocari modos perfectos, quia manifeste patet conclusionem esse veram, & quia ad eas reducuntur alij modi: vocantur etiam directe concludentes, quia in earum conclusione maior extremitas, quæ in prima figura semper est illa quæ prædicatur de medio, prædicatur etiã in conclusione: ceteri quinque modi vocantur modi indirecte concludentes, quia in conclusione minor extremitas, quæ in prima figura est illa, quæ subicitur medio in præmissis, prædicatur in conclusione.

Pro maiori autem intelligentia huius dispositionis syllogistica, utq; tyrones facilius possint formare syllogismos in singulis modis, & figuris, ac cognoscere quinam syllogismi in illis formantur, & quinam non formantur, subiicienda putavi exempla in omnibus his modis.

Iraq; quatuor primi modi primæ figuræ, quæ directe & clare cõcludunt, sunt sequentes, in quibus hoc modo formandi sunt syllogismi.

I.
Bar Omnis homo est animal,
ba Omne risibile est homo,
ra Ergo omne risibile est animal.

II.
Ce Nullus lapis est animal,
la Omnis chrisolitus est lapis,
rent Ergo nullus chrisolitus est animal.

III.
Da Omne animal est substantia,
ri Aliquis equus est animal,
i Ergo aliquis equus est substantia.

IV.
Fe Nulla arbor est animal,
ri Aliquis asinus est arbor,
o Ergo aliquis asinus non est animal.

Quinq; modi indirecte cõcludentes in prima figura sũt sequentes, & syllogismi in iis formandi sunt hoc modo.

I.
Ba Omne animal est viuens,
ra Omnis homo est animal,
lip. Ergo aliquod viuens est homo.

II.
Ce Nullum brutum est rationale,
lan Omnis equus est brutum,
tes Ergo nullum rationale est equus.

III.
Da Omne viuens est substantia,
bi Aliquod animal est viuens,
tis Ergo aliqua substantia est animal.

IV.
Fa Omne animal est corpus,
pef Nulla planta est animal,
mo Ergo aliquod corpus non est planta.

V.
Fri Aliqua planta est substantia,
se Nullus homo est planta,
so Ergo aliqua substantia non est homo.

Quatuor modi secundæ figuræ sunt sequentes, & hoc modo iuxta eos formari debent syllogismi.

I.
Ce Nulla planta est animal,
sa Omnis homo est animal,
re Ergo nullus homo est planta.

II.
Ca Omnis homo est animal,
mes Nulla planta est animal,
tres Ergo nulla planta est homo.

III.
Fe Nulla planta est animal,
sti Aliquis homo est animal,
no Ergo aliquis homo non est planta.

IV.
Ba Omnis homo est animal,
ro Aliqua planta non est animal,
co Ergo aliqua planta non est homo.

Sequuntur sex modi tertiæ figuræ, & exempla syllogismorum ipsis correspondentium.

I.
Da Omnis homo est animal,
ra Omnis homo est risibilis,
pti Ergo aliquod risibile est animal.

II.
Fe Nulla planta est animal.
lap. Omnis planta est substantia,
ton Ergo aliqua substantia non est animal.

III.
Di Aliquod animal est substantia,
sa Omne animal est viuens,
mis Ergo aliquod viuens est substantia.

IV.
Da Omne animal est substantia,
ti Aliquod animal est substantia,
si Ergo aliquod viuens est substantia.

V.
Bo Aliqua planta non est animal.
car Omnis planta est substantia
do Ergo aliqua substantia non est animal.

VI.
Fe Nulla planta est animal.
ri Aliqua planta est substantia,
son Ergo aliqua substantia non est animal.

CAPVT XIX.

De regulis figurarum in communi & particulari.

DVobis modis potest cognosci quod aliquis syllogismus seu potius oratio constans tribus propositionibus, ex quarum duabus inferretur tertia, & habens propterea speciem quamdam syllogismi, non sit tamen bonus syllogismus: primo si reperiretur non esse confectus in villo ex prædictis modis, supponitur enim cõmuniter non posse fieri bonum syllogismum, qui non sit in aliquo ex illis. Secundo si deficiat in aliqua ex infra scriptis regulis quæ vocantur regulæ communes, quia obseruantur in tribus figuris præmissis.

Prima regula est quod non componatur syllogismus bonus ex præmissis negatiuis, neque enim sequeretur bene conclusio vi formæ, ut patet in hoc discursu: nullum accidens est substantia, nullus homo est accidens, ergo nullus homo est substantia.

Secunda regula est, quod non componatur ex præmissis particularibus, quia non sequeretur conclusio, ut patet ex hoc syllogismo: aliquod animal est rationale, aliquod brutum est animal, ergo aliquod brutum est rationale.

Tertia regula est, quod si aliqua ex præmissis sit negatiua, conclusio non sit affirmatiua, & si aliqua ex præmissis sit particularis, conclusio non sit vniuersalis, & hinc dicitur cõmuniter quod conclusio sequatur debiliorem partem præmissarum, qualis censetur particularis in cõparatione ad vniuersalem, & negatiua in cõparatione ad affirmatiuam. Defectu huius conditionis non valent sequentes syllogismi: Omnis homo est animal, nulla planta est animal, ergo aliqua planta est animal: omnis homo est animal, aliquod album est homo, ergo omne album est animal.

Quarta regula est, quod medius terminus non ponatur in conclusione, & quod nõ ponantur in syllogismo plures termini, quam tres, & quod extremitates integre ponantur in conclusione. Ex hac regula sequitur, quod tres termini, qui ponuntur in syllogismo, debeant in omnibus sumi in eodem sensu ac in eadem ampliatione, suppositione, restrictione, quia alias syllogismus constaret quatuor terminis, aut pluribus.

2. Quinta regula est, quod medius terminus debet perfecte distribui in aliqua ex præmissis, tunc autem perfecte distribuitur, quando vel est subiectum vniuersalis affirmatiuæ, vel prædicatum vniuersalis negatiuæ. Ex hac etiam regula patet, quod aliqua ex præmissis debet esse vniuersalis, & quod si vna sola sit vniuersalis, medius terminus debet esse prædicatum eiusdem. Hinc non valet hic syllogismus: aliquod animal est irrationabile, omnis homo

Regulæ
vniuersa-
les pro
omnibus
figuris.

est animal, ergo aliquis homo est irrationalis; nec hic aliquod animal non est irrationale, omnis equus est animal, ergo aliquis equus non est irrationale.

Regulæ
particu-
lares fi-
gura-
rum.

Regulæ particulares figurarum sunt quæ particularibus figuris deferuntur: ex his duæ spectant ad primam, quarum prima est quod maior semper sit vniuersalis, secunda ut minor non sit negatiua, quod tamen intelligendum de modis directe concludentibus, alias malus esset syllogismus factus in *Frisefom*, nam minor eius est negatiua, ac maior particularis, & similiter malus esset syllogismus factus in *Fapesmo*, cuius minor est negatiua.

Aliæ duæ regulæ deferuntur secundæ figuræ. Prima est, ut maior non sit particularis, secunda ut vtrique præmissa non sit affirmatiua & hinc sequitur propter tertiam regulam vniuersalem, quod conclusio debeat esse negatiua.

Aliæ denique duæ regulæ obseruandæ sunt pro tertia figura, prima est quod minor sit affirmatiua; secunda, quod vtrique præmissa non sit vniuersalis, & hinc sequitur quod conclusio debeat esse particularis propter tertiam regulam vniuersalem.

Qui autem sciret omnes modos præmissos memoriter, facilius posset cognoscere an aliquis syllogismus esset bene factus in vlla ex illis percurrendo per modos, quam recurrendo ad has regulas particulares.

C A P V T XX.

De reductione ostensiva syllogismorum.

Quid re-
ductio
ostensi-
ua.

1. **Q**uandoquidem syllogismi facti in quatuor modis directis primæ figuræ concludant tam clare ac euidenter, ut non possit dubitari de veritate consequentiarum: ceteri vero syllogismi facti in aliis modis tum primæ figuræ, tum etiam secundæ, & tertiæ, non concludant tam clare, ut probetur, quod tamen non minus bene concludant, quam illi quatuor syllogismi perfecti, excogitata est vtiliter via reducendi ceteros ad primos illos quatuor sic, ut qui negaret consequentiam cæterorum, cogi posset ad negandam consequentiam illorum quatuor, & in hoc capite agitur de hac via quæ vocatur reductio ostensiva a. Ad quam intelligendam.

Aduertendum est primò omnes modos præmissos omnium figurarum incipere ab his litteris *B.C.D.F.* à quibus etiam incipiunt quatuor modi perfecti primæ figuræ: hinc autem facile colligi potest ad quæ modum ex illis quatuor alij modi sint reducendi, nam omnes modi incipientes à *B.* debent reduci ad *Barbara*; à *C.* ad *Celarent*; à *D.* ad *Darij*, ab *F.* ad *Ferio*. exceptis tamen *Baroco* & *Bocardo*, qui non reducuntur ostensue ad vllum modum ex illis quatuor, quod ipsum significatur per litteram *C.* in illis solis repertam in corpore.

Aduertendum secundò, quod aliqua ex his tribus consonantibus *S.P.M.* sequatur aliquam ex tribus vocalibus cuius libet modi reducibilis; ut in *Celarent* littera *S.* sequitur primam vocalem, & in *Frisefom* eadem littera sequitur primam & secundam vocalem, & littera *M.* tertiam; & in *Darapi* littera *P.* sequitur secundam vocalem. Per has autem litteras denotatur quod quando fit reductio, propositio correspondens litteræ, quam sequitur *S.* debeat conuerti simpliciter; & propositio, quam sequitur littera *P.* debeat conuerti per accidens, excepto tamen *Baralip*. nam in hoc modo solo littera *P.* significat quod conclusio modi *Barbara* ad quam reducitur, possit in conclusionem *Baralip*. conuerti per accidens seruatis iisdem præmissis, quod sufficit ad ostendendum quod conclusio optime sequatur ex illis præmissis quia ex quibuscumque præmissis sequitur vna conclusio, sequitur etiā & quæcūque alia, in quā illa bene conuerti possit, impossibile est enim conuersā esse verā, quin conuertens, seu illa in quam bene conuertitur, sit vera. Deniq; littera *M.* significat quod quando modus, in quo ponitur, reducitur, præmissæ eius debent transponi. Littera deniq; *C.* quæ ponitur in solis *Baroco* & *Bocardo*, in quibus nulla ex aliis tribus iam dictis reperitur, significat quod non possint reduci ostensue, ut ante dixi, vnde ipsorum bona conclusio debet probari alio modo capite sequenti assignando. Hoc totū significatur his verbis.

S. vult simpliciter verti. *P.* vero per acci.

M. vult transponi; *C.* per impossibile duci.

3. Ut autem doctrina hæc reducatur ad praxim, quatuor subiungam exempla; duo in prima figura, & vnum in qualibet ex aliis duabus, reliquorum modorum exempla relinquens ipsorum tyronum industria, ac diligentia lectorum.

Primum exemplū sit in *Baralip*. in quo formatur hic syllogismus: *omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo aliquod animal est risibile*. Hic syllogismus quandoquidem incipiat a *B.* debet reduci ad *Barbara*, & quia in vocabulo *Baralip*. non ponitur *S.* nec *P.* post vllam ex primis duabus vocalibus, nec *M.* in toto vocabulo, propterea præmissæ debent relinqui eodem ipso modo: quia vero *P.* posita post vltimam litteram (quod peculiare est in hoc modo) significat conclusionem, quæ ex illis præmissis sequeretur in *Barbara*; nimirum: *omne risibile est animal*, conuerti per accidens, nihil aliud faciendum est quā eam sic conuerrere hoc modo, *aliquod animal est risibile*, quæ est conclusio modi *Baralip*. ex iisdem præmissis. Itaq; si quis neget conclusionem *Baralip*. admissis præmissis, inferatur in *Barbara* ex iisdem præmissis conclusio vniuersalis affirmatiua directè, & illam propter euidentiam negare non poterit, tum conuertatur illa conclusio per accidens in particularem affirmatiuam, & illam etiam negare non poterit sequi ex iisdem præmissis; vnde concedere cogetur ex iisdem præmissis sequi conclusionem, quā ante negauit sequi.

Secundum exemplum sit in *Fapesmo* eiusdem figuræ primæ, in quo est hic syllogismus formatus, *omnis homo est animal, nulla planta est homo, ergo aliquod animal non est planta*. Hic autem syllogismus, quandoquidem *Fapesmo*, in quo fit, incipit ab *F.* debet reduci ad *Ferio* ab *F.* etiam incipiens Deinde prima propositio, quia post primam vocalem ponitur *P.* debet conuerti per accidens dicendo *aliquod animal est homo*, quæ propositio tam vera est, quam propositio conuersa, vnde qui conuersa concessit, debet illam etiam concedere. Itē secunda propositio, quia post secundam litteram ponitur *S.* debet conuerti simpliciter dicendo *nullus homo est planta*, quæ etiam vera est, & concedi debet non minus quam quæ conuertitur in ipsam. Rursus quia ponitur littera *M.* in illo modo, debent illæ duæ præmissæ transponi incipiendo à secunda, hoc modo, *nullus homo est planta, aliquod animal est homo*; ex his autem sequitur directè in *Ferio* tertia propositio *aliquod animal non est planta*, quæ non debet mutari, quando quidem nec *S.* nec *P.* ponatur post tertiam vocalem. Vis autem reductionis consistit in hoc, quod negans conclusionem *Fapesmo* sequi ex præmissis eius, cogatur eam cōcedere sequi ex aliis propositionibus, quæ sequuntur ex illis præmissis, ut iam patuit.

5. Tertium exemplum sit in *Camestres* secundæ figure, in quo formatur hic syllogismus *omne animal est viuens, nullus lapis est viuens, ergo nullus lapis est animal*. Hic syllogismus reduci debet ad *Celarent*, quia *Camestres* incipit à *C.* sicut incipit *Celarent*. Prima vero propositio non debet conuerti, quia post primā vocalem *Camestres* non ponitur nec *S.* nec *P.* debet tamen poni post secundam propter litteram *M.* Secunda propositio debet conuerti simpliciter, quia ponitur *S.* post secundam vocalem *Camestres* dicendo *nullum viuens est lapis*; tertia etiam, quia post tertiam vocalem ponitur *S.* debet conuerti simpliciter, dicendo: *nullum animal est lapis*; hæc autem tertia propositio sequitur in *Celarent* ex his duabus: *nullum viuens est lapis, omne animal est viuens*; quæ præmissæ sunt prima propositio syllogismi facti in *Camestres* posita secundo loco, & secunda propositio conuersa simpliciter, & posita primo loco.

6. Quartum exemplum sit in *Darapi* tertiæ figuræ, in quo est hic syllogismus: *omne animal est viuens, omne animal est sensitiuum, ergo aliquod sensitiuum est viuens*. Hic syllogismus debet reduci ad *Darij*, quia *Darapi* incipit a *D.* Prima propositio debet manere eodē loco sine transpositione aut conuersione, quia in vocabulo *Darapi*, non ponitur *M.* nec post primam vocalem *S.* aut *P.* secunda

Redu-
ctio Ba-
ralip
ad Bar-
bara.

Redu-
ctio Fa-
pesmo
ad Fe-
rio.

Redu-
ctio Ca-
mestres
ad Cēla-
rent.

Redu-
ctio Da-
rapi ad
Darij.

secunda verò propositio, quia post secundam vocalem ponitur P. debet converteri per accidens, dicendo *aliquid sensitiuum est animal*: ex hac autem propositione convertere et prima relicta suo loco absque conversione sequitur in *Dary* tertia propositio: quæ est conclusio, & non debet converteri: quia post tertiam vocalem *Darys* non ponitur S. aut P. Iuxta hunc modum facile reduci possunt syllogismi reliquorum modorum.

CAPVT XXI.

De reductione ad impossibile.

Quid re-
ductio
ad impos-
sibile.

Praeter praedictam viam probandi consequentiam syllogismorum factorum in modis obscure concludentibus, qua non potest probari consequentia bona modorum *Bocardo* aut *Baroco*, excogitata est alia via non solum ad consequentiam horum duorum modorum, sed aliorum etiam istorum modorum, cogendo nimirum negantem quamlibet ex illis consequentiis ad concedendum, quod contradictoria aut contraria possint simul esse vera, quod est impossibile, unde haec via vocata est *reductio ad impossibile*.

Ut hoc autem fiat, obseruandæ sunt sequentes tres regulæ, quarum prima deferuit modis indirectis primæ figuræ, secunda modis secundæ figuræ, & tertia modis tertiæ figuræ.

Quomo-
do redu-
ci possit
ad im-
possibile
negans
conclu-
siones
modo-
rum pri-
mæ figu-
ræ.

*Primaregula pro modis primæ figuræ est: si negatur conclusio vilius ex illis modis, assumatur contradictorium eius pro maiori, & maior concessa pro minori, ex illis autem duabus sequetur in aliquo ex modis directis primæ figuræ contradictorium aut contrarium minoris concessæ vel conuerentis eius, hoc est, propositionis in quam conuerti possit; & sic obligatur negans conclusionem ad concedendum contraria vel contradictoria esse vera; nam primo concedebat vtramque præmissam esse veram, & postea obligatur ad concedendam contrariam vel contradictoriã vnius ex illis, nempe minoris esse veram; exempli gratia supponatur aliquis negare conclusionem huius syllogismi facti in *Baralip. omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo aliquod viuens est homo*: vt cogatur ad impossibile, assumatur pro maiori contradictorium conclusionis negatæ, nempe *nullum viuens est homo*, & pro minori maior prædicti syllogismi, nempe *omne animal est viuens*, & ex illis in *Celarent* sequitur hæc conclusio, *ergo nullum animal est homo*, quæ potest conuerti simpliciter in hanc aliam *ergo nullus homo est animal*: quæ est contraria propositio minori primi syllogismi, quæ erat *omnis homo est animal*.*

3. Aliud exemplum sit: supponatur aliquis negare conclusionem huius syllogismi facti in *Frisefom*: *aliquid animal est viuens, nulla planta est animal, ergo aliquid viuens non est planta*, vt reducatur ad impossibile, assumatur pro maiori contradictorium conclusionis: *omne viuens est planta*, & pro minori ponatur maior syllogismi, premissi *aliquid animal est viuens*, ex illis duabus sequitur in *Dary* hæc conclusio *aliquid animal est planta* quæ opponitur contradictorie huic propositioni, *nullum animal est planta*: hæc autem propositio non est quidem minor ante concessa, sed est talis, in quam potest illa minor conuerti simpliciter, & consequenter quicumque concessit illam minorem, debet hanc concedere esse veram: ex vltimo autem syllogismo cogitur concedere contradictorium huius esse verum, ergo cogitur fateri contradictoria esse simul vera.

4. Excipitur ab hac regula *Celantes*, cuius minor ponenda est pro maiori, & contradictorium conclusionis negatur pro minori; illis autem in *Dary* sequitur contradictorium propositionis in quam cuerti potest maior, exempli gratia aliquis neget conclusionem huius syllogismi facti in *Celantes*; *nullum animal est insensitivum, omnis homo est animal, ergo nullum insensitivum est homo*, ut reducatur ad impossibile, assumatur minor pro maiori sic: *omnis homo est animal*, & contradictorium conclusionis pro minori, nimirum *aliquid insensitivum est homo*, ex illis duabus sequitur in *Dary*, *aliquid insensitivum est animal*, quæ conclusio opponitur contradictorie huic

propositioni *nullum insensitivum est animal*, in quam con-
verti potest simpliciter maior syllogismi primi, nempe
nullum animal est insensitivum.

§. *Secundaregula* pro modis secundæ figuræ est quod assumatur pro maiore eadē ipsa maior syllogismi secundæ figuræ, cuius consequentia negatur, & postea contradictorium cōclusionis negatur, ex iis autē sequitur in aliquo modo ex modis directis primæ figuræ contradictorium vel contratiū minoris antea concessū. Exempli gratia, si quis neget conclusionem huius syllogismi facti in *Cesare*, nullus homo est animal, omnis talpa est animal, ergo nullat talpa est homo. vt cogatur ad impossibile assumatur eadem ipsa maior, nempe nullus homo est animal, & subsumatur contradictorium, cōclusionis negatur, nimirum aliqua talpa est homo, & ex illis duabus sequitur in *Ferio*, ergo aliqua talpa non est animal, quæ est contradictoria huius propositionis omnis talpa est animal, quæ erat minor primi syllogismi & concessa antea vt supponitur.

6. *Tertia regula* pro syllogismis tertiæ figuræ est quod pro maiori sumatur contradictorium conclusionis negatæ & subsumatur illa ipsa minor quæ fuit ante, ex illis autem sequetur contradictorium, vel contrarium maioris concessæ: exempli gratiâ si neget aliquis conclusionem huius syllogismi tertiæ figuræ facti in *Felapton*: *nullum animal est lapis, omne animal est substantia, ergo aliqua substantia non est lapis*, Ut cogatur ad impossibile, assumatur pro maiori contradictorium conclusionis, nempe *omnis substantia est lapis*; subsumatur illa ipsa minor: *omne animal est substantia*, & ex illis sequetur in *Barbara*, ergo *omne animal est lapis*; quæ est contraria propositio maiori ante concessæ, nempe *nullum animal est lapis*.

Item ne
gans
conclu-
sionem
ferriz

Hæ tres regulæ comprehenduntur his quatuor ver-
bis.

*Quæ fuerat maior prima minor esse requirit,
Excipe Celantes in quo minor ante locanda est,
Servat maiorem, variatque secunda minorem,
Tertia maiorem variat, servatque minorem.*

Ex hac reductione euidenter colligitur quod impos-
sibile sit, quin si veræ sunt præmissæ cuiuslibet syllo-
gismi præter quatuor syllogismos primæ figuræ, etiam
conclusio sit veræ, quia si non esset veræ, contradictoria
propositio deberet esse veræ, & ex illa contradictoria
& aliqua ex præmissis sequeretur alterâ præmissam non
esse veræ, & sic esset veræ, & non esset veræ; ergo neces-
sario si præmissæ illæ sint veræ, conclusio debet esse
veræ.

CAPVT XXII.

De alijs speciebus argumentationis seu discursus.

i. **D**iximus supra quatuor esse species argumentorum, syllogismum, enthymenam, inductionem, & exemplum, eorumque quantum satis est de syllogismo, quæ est principalis species, superest vt breuiter aliqua dicamus de alijs tribus speciebus.

Est ergo *enthymema* oratio, in qua ex vna sola propositione infertur alia, vt *omnis homo est animal, ergo nullus homo est planta*. Hæc species vocatur syllogismus imperfectus, quia non concludit vniuersaliter nisi ratione alicuius propositionis subintellectæ, quæ si adderetur, fieret syllogismus, vt patet in prædicto exemplo, nam conclusio non sequitur nisi quia supponitur & subintelligitur hæc propositio *nullum animal est planta*, quæ si adderetur, fieret syllogismus in *Celarent*, vt patet, vnde existimo quod intellectus interius nunquam assentiar vi *enthymematis*, licet exterius non profertur plus quam *enthymema*; sed quoties assentitur conclusioni, habet interius alteram propositionem sibi propositam, quæ exterius non significatur.

2. *Inductio* secundum Philosophum 1. *Top.* c. 10. est à singularibus ad vniuersalia accessio, hoc est; oratio, in qua ex eo quod aliquid competat singularibus omnibus, inferitur quod illud ipsū possit de natura comuni omnibus illis singularibus vniuersaliter prædicari, vt est hæc oratio: *Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, & sic de cæteris indiuiduis, ergo omnis homo est risibilis.* Huiusmodi autè argumentatio non videtur mihi esse discursus proprius

Quid em-
thyme-
ma.

Quid in-
ductio?

prie loquendo, si ad discursum requiratur quod aliud ex alio inferatur, quia aliud ex alio non videtur inferri, nam idem est, Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, & sic de ceteris hominibus, ac omnis homo est risibilis, nec altera propositio est altera obscurior aut ignotior, si tamen sit discursus non cōcludit vi formæ, nisi ratione huius propositionis subintellectæ: sed nullus est homo, qui nō est Petrus, aut Paulus, aut aliquod aliud indiuiduū, vel huius alterius: sed Petrus & Paulus & cetera indiuidua humana faciunt omnem hominē, aut alicuius alterius similis.

3. *Exemplum* est oratio, in qua ex eo quod aliquid cōpetat vni rei, inferitur quod cōpetat aut possit cōpetere alteri propter paritatem rationis, aut proportionē aliquam vel similitudinem, quam habent inter se, licet nō habeant physicam aliquam connexionem; vt si dicatur Petrus flendo amarē sua peccata, acquisit veniam eorum, ergo quicumque alius fleuerit amarē sua peccata, similem veniam consequetur. Consequentia huius non valet vi formæ, nisi ratione propositionis subintellectæ sed est eadem ratio de Petro & quocumque alio.

CAPVT XXIII.

De syllogismi speciebus.

Quot
species
syllogis-
mi.

1. *Syllogismus* vt sic, diuidi solet in syllogismum demonstratiuum, topicum, & falsigraphum, quæ diuisio quatenus comprehendit hunc tertium syllogismum, est sine dubio æquivoci in æquiuocata; neque enim syllogismus falsigraphus habet rationē syllogismi vt sic, magis quam homo pictus habet rationem hominis vt sic; quatenus autem comprehendit duo prima mēbra, nempe syllogismum demonstratiuum & topicum, est vniuoca diuisio, vterque enim est syllogismus simpliciter loquendo, sed an sit diuisio generis in species proprie dictas, controuertitur, & quid sentiendum sit, in disputationibus supra libros Priorum dicitur; hic sufficiet breuiter describere, quid sint syllogismi.

Quid
demon-
stratiuus
syllogis-
mus.

2. Itaque *syllogismus demonstratiuus*, prout hic vniuersaliter capitur, quatenus distinguitur à topico & falsigrapho, est syllogismus recte cōcludens vi formæ & constās præmissis certis ac euidentibus, siue immediatē siue mediātē; præmissæ autē sunt certæ immediatē quādo sunt propositiones per se notæ ex terminis: sunt autē certæ mediātē quando deducuntur ex aliis præmissis certis; huiusmodi syllogismus est hic syllogismus: *omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo omnis homo est viuens.*

Quid
topicus.

Syllogismus topicus est, qui concludit quidē vi formæ, non minus quam demonstratiuus, sed constat vel vtriusque præmissis incertis, vel vna præmissa incerta: huiusmodi syllogismus est hic: *omnis homo diligit filium suum, omnis mater est homo, ergo omnis mater diligit filium suum:* cuius syllogismi maior non est vniuersaliter certa, sed tantum probabilis.

Quid
falsigra-
phus.

3. *Syllogismus falsigraphus* est oratio habens similitudinem quandā syllogismi; quia aut constat tribus terminis, aut tribus propositionibus instar veri syllogismi; aut apparet constare tribus terminis, cum reuera constet pluribus; sed non habens veram rationem syllogismi, quia verē conclusio non sequitur vi formæ ex præmissis, nec propterea necessario concedi debet conclusio, quamuis concedantur præmissæ, huiusmodi est hæc oratio: *aliquis homo est doctus, Petrus est aliquis homo, ergo Petrus est doctus* quia conclusio non sequitur vi formæ, quandoquidem ex tribus particularibus affirmatiuis nihil sequatur vi formæ.

Præter hos syllogismos datur alius qui scilicet constat vtrique, aut vna præmissa manifeste falsa, sed talis non indiget consideratione vlla, solum aduertendum quod illa propositio, quæ est sic falsa, sit neganda.

CAPVT XXIV.

De syllogismo Dialectico seu probabili.

1. *Relicta* consideratione syllogismi demonstratiui pro libris Posteriorum, de hoc syllogismo hic breuiter particularius agendum, non solum, quia eodem prorsus modo continetur sub syllogismo vt sic, quo demonstratiuus; sed etiam, quia in omnibus disciplinis longe frequentior est vsus eius, quam illius: ex iis enim

conclusionibus, quæ statui solent in quacunque scientia, plures sine dubio sunt probabiles, atque adeo cognitæ per syllogismum Dialecticum sed probabilem, quam demonstratiuam ac scientificam.

Est ergo *syllogismus probabilis* seu dialecticus ille, cuius vtrique præmissæ non est necessaria; sed vel ambæ probabiles, vel aliqua ex illis. *Propositio vero probabilis* describitur communiter esse illa, quæ videtur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, atque his vel omnibus vel pluribus, vel spectatissimis, modo non sit paradoxon, hoc est præter opinionem omnium.

Quid
syllogis-
mus pro-
babilis
Quid
proposi-
tio pro-
babilis?

Propositio probabilis, quæ videtur omnibus, dicitur esse hæc: Parentes amant filios. Verum si hoc intelligatur vniuersaliter de omnibus parentibus respectu omnium filiorum, non solum non apparet omnibus, sed manifesta experientia constat eam esse falsam, plurimi enim oderunt filios omni ætate. Itaque debet intelligi sic vt velit, quod parentes communiter amant filios, & quod nisi constet contrarium, facile eo ipso, quo quis cognoscit aliquem esse alterius parētem, iudicabit eum, qui pater est, alterum diligere.

Propositio apparens pluribus est, diuitias ac honores summa diligentia procurandos esse, quod tamen intelligendum de procuratore non peccaminosa aut illicita, nam certē non est probabile quod comparati debeant quacunque via per fas aut nefas, & quamuis plurimi ea sic conquirant, tamen non apparet iis ea debere sic conquiri, sed videntes meliora, deteriora sequuntur.

3. *Propositio apparens omnibus sapientibus* est, quod bona animi sint præferenda bonis corporis, quæ propositio eo ipso, quo illis tantum apparet, quamuis oppositum videretur omnibus aliis, exclusis sapientibus, probabilis censi debet & verior quam opposita, quia verisimilius est sapientes ex duabus propositionibus sibi propositis melius cognoscere, quæ præferenda sit, quam non sapientes, nam alias non essent sapientes. Hinc autem videtur non esse necessarium, ad colligendam probabilitatem vllius propositionis cognoscere, quod appareat omnibus omnino, sed abunde sufficere, quod cognoscatur apparere omnibus sapientibus; quia quandoquidem sit probabilis ex eo, quod appareat omnibus sapientibus, & non possit apparere omnibus omnino, nisi etiam appareat omnibus sapientibus, sufficeret cognoscere, quod ita videretur omnibus sapientibus: nihilominus magis euidentem habebit probabilitatem, si non solum omnibus sapientibus, sed omnibus omnino vera appareat.

4. *Propositio apparens pluribus sapientibus, sed non omnibus* est, animam esse immortalem, quod tamen intelligendum semper, quantum ad motiua rationis, nam quod ad fidem attinet, illa propositio non est probabilis, sed certa.

Propositio apparens non omnibus sapientibus, nec plurimis (secludo hic etiam fidem) sed quibusdam eminentibus, est mundum non esse ab æterno, sed aliquando cœpisse; probabilitas autem huiusmodi propositionis in ordine ad alios in hoc fundari potest, quod debeant existimare, si aliud ipsismet in contrarium non occurrat, quod quæ propositio trahebat ingenium tā insigne ad assensum, id non faceret, nisi esset apparentis veritatis. Quod si tamen propositio à tali sapiente asserta sit contra id quod apparet omnibus aliis sapientibus, non debet probabilis haberi, quia potius censendum est ipsum solū errasse, quantumvis insignem, quā ceteros omnes.

5. Alio modo potest describi propositio probabilis esse illa, cuius veritas apparet absque certitudine, vel ex terminis propriis, vel quia potest per discursum legitimum deduci ex propositionibus, cuius vtriusque, vel alterutius veritas sic apparet; vnde quia propositio, quæ in re est falsa, potest ita apparere, sequitur quod propositio falsa possit esse probabilis; & quia aliquādo alicui apparet propositio esse vera, quæ postea apparet ipsi falsa, hic cōtingere potest, vt pro vno tēpore propositio sit probabilis alicui, quæ alio tēpore nō est talis, sed vel improbabilis vel falsa. Itaque quocūque habet aliquis motiua, ex

Alia de-
scriptio
proposi-
tionis
probabi-
lis.

secunda

quibus deducere potest propositionem aliquam esse falsam, illa propositio ipsi nequit esse probabilis: quoties autem non habet motum, nec ad colligendam falsitatem, nec ad veritatem inferendam, propositio est ipsi incerta ac ignota; si autem habeat aequalia motiva positiva pro utraque parte, nec videt aliquam rationem contra alterutram, quam nequit solvere, utraque pars est probabilis, & talis debet esse omnis quæ problematice tenetur, quod si contra unam partem habeat argumenta, quæ solvere nequit, non vero contra alteram, & cetera sint paria, debet habere unam tantum partem pro probabiliori, aut saltem probabiliori. At si contra utramque partem argumenta insolubilia habeat, utraque pro incerta habenda est, sed neutra pro improbabiliori, nam cum alterutra cognoscatur necessariò debere esse vera, neutra debet improbabilior reputari; quare illam solam censet improbabilem, quæ contra se habet rationes insolubiles, nec pro se habet insolubiles rationes.

Varia genera propositionum incertarum.

6. Itaque ex propositionibus non certis quædam sunt fidei, quibus scilicet quis assentitur ob auctoritatem dicentis, quædam non fidei quibus scilicet quis non assentitur ob auctoritatem talem; harum autem quædam sunt, ad quæ iudicanda ad sunt aliqua motiva sine motibus aequalentibus de opposito, aut rationibus insolubilibus contra se, & hæc sunt probabilissima, quædam vero quæ habent rationes insolubiles contra se, cum tamen alie insolubiles non sint contra opposita, & hæc sunt improbabiles; quædam quæ habent motiva pro utraque parte sine rationibus insolubilibus contra alterutram partem, & hæc sunt probabiles pro utraque parte; & ex illis, quæ plura aut vrgentiora habet motiva, probabiliior censenda est, quod attinet ad rationem; quædam denique, quæ rationes insolubiles habent contra utramque partem, & mihi huiusmodi incertæ potius & ignotæ, quam probabiles esse videntur, quamvis hoc spectet ad quæstionem de nomine.

CAPUT XXV.

De locis Topicis seu Dialecticis.

1. Vandoquidè conclusio syllogismi topici sit probabilis, & cōsequenter debeat intellectus habere aliquod motuum ad eam iudicandā, quod motuum in præmissis, ex quibus inferitur, proponi debet; & vocari solet *medium*, quo scilicet utitur quis ad persuadendam conclusionem, quandoquidè non unius generis mediū ad omnes conclusiones, sed varia etiam ad eandem conclusionem persuadendam adduci solent; ut quis expeditius posset & medium invenire, & syllogismū Dialecticum formare, ingeniose quidem notauerūt Philosophi certa aliqua capita, ex quibus desumi posset medium, & formari argumentum, ad suadendā aliquam propositionem, quæ capita vocant *loci* seu *sedes argumentorum*. Itaq; hæc loci, sedes, seu capita, quædam sunt connexa cum ipsa propositione probanda: quædam autem omnino extrinsecæ; hæc vltima sunt potissimū duo, ut auctoritas alicuius, & scriptura; illa vero priora reducuntur ad viginti duo, ex quibus aliqua spectant ad naturam ipsius, ut *definitio*, *descriptio*, *notatio*; alia vero non spectant ad naturam, sed aliquo modo illam respiciunt, & ex his quædam dicuntur *coniuncta*, quædam *disiuncta*. *Coniunctorum* aliqua dicuntur *connexa*, ut *coningat a partes totum*, *causa effectus*, *antecedentia consequentia*, alia *circumstantia* ut *præcurrentia*, *concomitantia*, *subsequentia*. *Disiunctorum* vero quædam vocantur *consentanea*, ut *similia maiora minora*, *paria*; quædam dissentanea, ut *dissimilia*, *opposita*, *repugnancia*. De his ergo locis, ut intelligantur, pauca quam breviter dicenda videntur.

Quid locus topicus.

Quot loci.

Argumentum à definitione & descriptione duomodo formari potest.

2. Ut autem incipiatur à *definitione*, & *descriptione*, imprimis quid sint supponendum est ex dictis supra, argumentum autem ab utraque eodè modo formari potest, ostendendo vel quod illud, quod prædicatur in propositione probanda conveniat aut non conveniat definitioni aut descriptioni subiecti eiusdè propositionis; vel quod definitio aut descriptio prædicati eiusdè propositionis conveniat, aut non conveniat eiusdè subiecto: v.g. si quis vellet probare virtutem præferendam diuitiis, po-

test argumentari à definitione virtutis hoc modo: *bona dispositio animi præferenda est diuitiis: talis est virtus, ergo: vel à definitione diuitiarum, hoc modo: virtus est præferenda facultatibus externis corporeis, quibus res corporeæ emi possunt sed diuitie sunt tales facultates, ergo virtus illis est præferenda.*

3. Aduertendum autem hic, quod syllogismus, cuius medium est definitio aut descriptio, nō semper sit Dialecticus seu probabilis, sed aliquando demonstratiuus ac necessarius; unde locus hic definitionis non solum est locus topicus, unde scilicet argumentum probabile deduci potest, sed etiam demonstratiuus, hoc est talis, unde deduci possit medium formandi demonstrationem. Tunc autè deserviet syllogismo topico, quando aut nō est certū, quod illud, quod assumitur pro definitione aut descriptione, sit vera definitio, aut descriptio propria rei; aut quādo non cōstat certo quod aut prædicatū conclusionis conveniat definitioni subiecti aut definitioni prædicati cōclusionis cōueniat subiecto eiusdè & quod dico de hoc loco quātū ad hoc, intelligi debet de ceteris locis, à quibus argumenta necessaria deduci possunt.

Quando syllogismus à definitione est topicus.

Quid notatio.

4. *Notatio* est etymologia seu derivatio nominis ab alio nomine, ut *Consul* à *consulendo*; seu prospiciendo, *Christianus* à *Christo*. Ab hoc loco potest deduci argumentum ad probandam hanc propositionem, *Christianus debet honorare Christum: quicunque nomen habet à Christo, debet ipsum honorare: habet Christianus, ergo.*

Quid coniugata.

5. *Coniugata* sunt nomina illa, quæ desumunt denominationem ab alio nomine, ut *sapiens*, & *sapienter*, desumunt denominationem à *sapientia*, cuius propterea sūt coniugata. Ab hoc loco potest probari hæc propositio: *laudabile est sapiēter agere, sic: non esset laudabilis sapientia, nisi laudabile esset sapiēter agere: sed est laudabilis sapientia, ergo & sapiēter agere.* Videtur autem fundari vis huius argumenti in eo, quod non sit maior ratio, cur aliquid negaretur aut prædicaretur de vno coniugatorū, quam de aliis, unde si esset aliqua disparitas argumenti, maior aut minor esset negatā, vel si fieret enthymema, neganda esset consequētia. Et hinc patet non valere hoc argumentū: *iustitia semper est laudabilis, ergo est semper laudabile iuste agere*, quia non est eadem ratio, nam nihil vnquam potest accidere, ratione cuius iustitia non sit laudabilis, aliquid autem potest contingere aliquando, ob quod non sit laudabile iuste agere, nam iustū ageret, qui redderet cuiq; suum, sed posset id facere ob malum finē, & tunc non esset laudabile iuste agere ob illū finē.

Quid partes.

6. *Partes*, ex quibus desumi possunt argumenta Dialectica sunt tam integrantes, quam essentielles, siue physica siue metaphysica: ex his autè varia possunt adduci argumenta, ut si ex positione partium omnium vnitarum inferatur ipsum totum esse; aut si ex negatione omnium, aut illius partis inferatur nō esse totū; aut si ex proprietate aliqua competenti alicui parti inferatur eadem proprietates competere toti, vel ex negatione proprietatis de omnibus partibus negetur cōpetere toti, hoc autè modo potest formari argumentum ex hoc loco ad probandam hanc propositionem: *homo est corporeus: quod constat parte corporea, est corporeum; homo constat, ergo.* Item ad probandam hanc, *Angelus non est corporeus: nulla parte corporea, constat nec metaphysica, nec physica, ergo non est corporeus.* Item hanc, *Petrus est homo integer: constat ex omnibus partibus integrantibus requisitis ad hominem integrum, capite v.g. manibus, pedibus &c. ergo est integer homo.*

7. *Totum* est quid constitutum ex partibus, & ex illo facile fieri potest argumentum ad probandum aliquid circa partes v. g. ad probandam hanc propositionem, *Petrus constat anima; quidquid est homo, constat anima: Petrus est homo: ergo constat anima.* Item hanc: *lapis non est animatus, quidquid est animatum est viuens: sed lapis non est viuens, ergo non est animatus.*

Quid totum in quantitate. Quid pars in toto.

Pro complemento notitiæ huius loci aduertendū de quatuor generibus totorum fieri mentionē apud Dialecticos antiquos præsertim, nēpe de *toto in quantitate* per quod intelligit aliquod vniuersale signo vniuersali affectum, ut omne animal: *pars autem in toto* huic opposita est

est quodcūq; includitur in illo toto, vt homo includitur in omni animali. De *Toto in tēpore*, per quod intelligunt, illud quod significat omne tēpus, vt *sēper, nūquā nō*, sicut per partem in tēpore intelligunt quod significat partem tēporis, vt *nunc, cras, pridie*. De *Toto in loco*, per quod intelligunt, quod significat omnē locum, vt *ubique, nullibi nō*, sicut intelligunt per partem in loco, quod significat partem loci, vt *hic, ibi*. De *Toto denique in modo*, quod est aliquid vniuersale simpliciter absq; addito aliquo prolatum, vt *homo, equus*; pars vero in modo, est aliquid vniuersale cum particula restringente, sed non minuente, nec tollente totū, vt *homo iustus, album vt tria*. Et hęc quidem explicare volui magis ad intelligendos authores antiquos, quam ad aliam vtilitatē, aut vt velim hoc satis barbaro, & improprio modo loquēdi vtendū esse.

8. *Causa*, ex quibus argumenta deduci possunt, sunt quatuor illæ vulgares, *materialis, formalis, efficiens, & finalis*, & quæ ad eas reducuntur, de quibus secundo Physicorum fusē agendum.

Materia triplex est, ex qua res fit, vt ex corpore fit homo; in qua vt paries est materia albedinis in ipso producit, circa quam vt est obiectum circa quod versatur sciētia, aut ars. Ex materia ex qua fieri potest argumentum hoc modo ad probandum hanc propositionem: homo habet aliquid vilitatis: homo constat corpore, quod est materia vilis, ergo. Item hanc propositionem: Hibernia non indiget, vt aliunde aurum, aut argentum eo transportetur. Qua regio in se habet sufficientia mineralia, ex quibus fieri possit aurum, & argentum, non indiget, vt aliunde eo transportetur aurum, aut argentum: talis est Hibernia, ergo. Ex materia in qua hoc modo ad probandam hanc propositionem: species intelligibilis est perfectior phantastica. Quod exigit materiam nobiliorem, in qua fiat, est perfectius: illa species eam exigit, quia exigit intellectum, ergo. Ex materia denique circa quam probatur hęc propositio: Metaphysica est perfectior Physica. quod versatur circa obiecta nobiliora est nobilior: sed Metaphysica versatur circa obiecta nobiliora, ergo.

9. *Forma* vel est essentialis, vt est anima respectu hominis; vel accidentalis, vt est albedo respectu eiusdem; vel externa, vt exemplar respectu rei exemplatæ: quamuis enim, vt dicitur suo loco, exemplar reducatur ad genus causæ efficientis, tamen hoc non obstante potest habere rationem formæ externæ, & quantum ad præsens, perinde est ad quod reducatur.

Ex forma essentiali argumentum formari potest hoc modo, ad probandum v.g. hanc propositionem: homo est immortalis, quod constat essentialiter forma immortalis, est immortalis: Sed homo constat forma immortalis, nempe anima, ergo est immortalis.

Ex forma accidentali ad probandam hanc propositionem: aqua est corruptibilis, quod subest formis contrariis expellentibus se inuicem, & disponentibus ad formas incompatibiles, est corruptibile: aqua ita subest, fit enim aliquando frigida, aliquando calida, ergo est corruptibilis.

Ex forma externa sic ad probandam hanc propositionem: condonatio iniuriarum est laudabilis: omnis actio, quæ habet similitudinem cum actione aliqua Christi, est laudabilis: talis est condonatio iniuriarum, ergo.

10. Ex causa efficiēti, quæ est illa quæ producit rem, multa argumenta deduci possunt, vt ad probandā hanc propositionem: Petrus non interfecit Paulum, non poterat interficere absque instrumento, aut viribus; ex his neutrum habuit, ergo. Item hanc: in ætate debet tempus esse calidius, quando magis applicantur causæ calefactiue, tempus debet esse calidius, id accidit in ætate, ergo. Item hanc: actus voluntatis est liber: Ille est actus liber quem producit potentia ex se indifferens ad ponendum, vel non ponendum actum: talis est actus voluntatis, ergo est liber.

Ex finali causa, quæ est propter quam aliquid fit, potest probari hęc propositio: potius indulgere quis debet virtuti quam vlli alij rei. illi magis indulgendum est, quod magis deseruit, vt possit quis acquirere beatitudinem, propter quam assequendam conditus est: sed virtus est huiusmodi, ergo.

11. *Effectus* sunt illa, quæ oriuntur ex causis, & ex illis varie argumētari licet, vt hoc modo ad probandam hanc propositionem: nimius ignis nocet: nimius calor nocet, ergo: nimius ignis à quo causatur. Item hanc: ira est vitanda. Illud est vitandum, ex quo oritur perturbatio iudicij: talis est ira, ergo est vitanda. Item hanc: Petrus meditatur iter, pręparat omnia necessaria ad iter: sed non prępararet, si aliud meditaretur, ergo meditatur.

Antecedentia sunt illa, ex quibus aliud sequitur, cum tamen ipsa non sequantur ex illo alio, & sic se habet omne inferius respectu superioris, vt animal respectu hominis, iustitia respectu virtutis. Ex hoc loco formari potest argumentum ad probandum hanc propositionem: aliquod animal est excellentius leone, homo est excellentior leone: sed homo est aliquod animal, ergo.

Consequentia sunt, quæ ex antecedentibus sequuntur, vt superius quodcūque respectu inferioris, v.g. vitium respectu intemperantiæ. Ex his argumētari licet hoc modo ad probandam hanc propositionem: intemperantia est fugienda. Omne vitium est fugiendū, ergo & intemperantia.

12. Hic autem aduertendum duplex esse genus Antecedentium & consequentium. Primum genus est antecedentium, & consequentium, quæ vel se habent vt superius & inferius, ex quibus inferius est antecedens, superius verò consequens; vel quorum vnum præcedit tempore, & aliud sequitur: sicut vulnus antecedit mortem, quæ ipsum sequitur, ex quibus etiam quod antecedit tempore vocatur antecedens, & quod sequitur consequens. Aliud genus antecedentis est illud, quod necessario dandum est, si aliud detur, quamuis non sit superius ad ipsum, vt iuuentus respectu senectutis, & consequens huic correspondens est illud, ad quod aliud sequitur; quamuis non sit inferius ad ipsum, vt senectus respectu iuuentutis. Exemplum argumenti desumpti ex prioribus antecedentibus, & consequentibus supra præmissum est; ex antecedenti vero posteriori potest argumentum formari hoc modo: non fuit vnquam adolescens, ergo nec senex, & ex consequenti hoc modo: est senex, ergo fuit adolescens.

13. *Præcurrentia* sunt illæ circumstantiæ accidentales quæ præcedunt rem, sed non habent necessariam connexionē cum re, ex eo quod illæ possent esse sine re, & sine illis, vt portenta, dies natalis, nobilitas Maiorum, educatio, cōsuetudo, & similia, ex quibus formari potest argumentū hoc modo ad probandū v.g. sanctum Ioannem Baptistam fuisse insignem virum: Ille non potest non existimari insignis, cuius natiuitatem præcesserunt signa aliqua specialia denotantia prerogatiua aliqua particularia; talis erat Ioannes Baptista, quia eius natiuitatem præcessit apparitio Angeli, conceptus mulieris sterilis, &c.

14. *Concomitantia* sunt circumstantiæ accidentales rem concomitantes, vt locus, tempus, socij dignitas; ex quibus formari potest argumentum hoc modo ad probandum, quod aliquis imprudenter aggressus sit mortem alterius: imprudenter quis aggreditur mortem, quando non potest verisimiliter eam inferre impunis: sed non potuit tum, quia locus erat publicus, tempus diurnum, aderant socij multi &c. ergo.

15. *Subsequentia* sunt circumstantiæ sequentes rem, vt si appaterent postea aliqua portenta, si infirmitas, si valetudo, si patroni, si inimici, ex his argui potest hoc modo: illa actio infelici tempore facta est, quam secuta sunt tales circumstantiæ, propter quas non impune facta est: sed interfectio alicuius tum facta cum statim aduenerunt amici eius, qui interfectus est, & alia occasiones eius vindicande, est talis, ergo.

16. *Similia* sunt non solum, quæ sunt eiusdem formæ siue essentialis, siue accidentalis, sed quæ etiam proportionem aliquam habent; ex hoc loco plurima argumenta confici solent, quæ non solum ostendant aliquo modo naturam rei, sed etiam persuadeant: exemplum vnum sufficiat: vt corpus indiget oculo corporali, ita animus spirituali, sed corpus indiget oculo tali, ergo & anima. Quod autem ad me attinet, existimo hunc locum nihil aut parum differre à loco parium de quo postea.

17. *Maiora*

Quid totum in tempore.

Quid pars in tempore.

Quid totum & pars in loco.

Quid totum & pars in modo.

Quomodo fit syllogismus ex causa materiali.

Quomodo ex forma.

Quomodo ex causa efficiente.

Quomodo ex finali.

Ex effectibus.

Ex antecedentibus.

Ex consequentibus.

Duplex genus antecedentium.

Præcurrentiæ quæ.

Concomitantia quæ.

Subsequentia quæ.

Similia.

Maiores. 17. *Maiores* sunt, quæ maiore habent probabilitate, aut verisimilitudine quā alia, ut maius est probabile, quod viginti possint capere civitatem, quā decē; ex hoc loco deducitur argumentū hoc modo: *non potuit vincere cum magno exercitu, ergo neque cum parvo poterit*: quæ consequentia in hoc fundatur, quod potius id iudicandum sit esse futurum, cuius futuritio maiore habet probabilitatem.

Minora. *Minora* sunt, quæ minorem habent probabilitatem: hinc argumentari licet hoc modo: *tres menses suffecerunt ad discendam linguam Græcam, ergo sex sufficiunt ad discendam Latinam, quæ facilius est.*

Paria. *Paria* sunt, quæ habent æquale probabilitatem, ex hoc loco arguitur hoc modo: *decē millibus oppugnavit unam civitatem, ergo & totidē poterit alteram non magis fortem.*

Dissimilia. 18. *Dissimilia* sunt, quæ nec similitudinem, nec proportionem in forma aut natura habent. Argumentum hinc ducitur sic: *Securus est beatitudinis qui bene vivit, ergo qui male vivit, non est sic securus.*

Opposita. *Opposita* sunt, quæ se mutuē excludunt, ut sunt contradiCTORIA, quorum unum est positivum, & alterū negatio ipsius, ut album, non album: & privativa, quorum unum est positivum, & alterum privatio ipsius, ut visus & cæcitas: & contraria quorum utrumque est quid positivum, & non sunt correlationes, ut albedo & nigredo, virtus & vitium: & denique relatiua, quæ mutuo ad se invicem referuntur, ut dominus, servus; pater filius, de quibus fufius in Postprædicamentis. Ex contradiCTORIIS arguitur sic: *Est virtute præditus, ergo non caret virtute. Ex privatiuis sic: Est videns, ergo non est cæcus. Cæci soli periclitantur, ergo non periclitantur videntes. Ex contrariis sic: Est virtute præditus, ergo non est vitiosus. Ex relatiuis sic: Est pater Alexandri, ergo non est filius eius.*

Repugnantia. 19. Ad hæc reduci debent repugnantia, ut substantia & spiritus, quæ eatenus solum ab oppositis contrariis distinguuntur, quod illa se mutuo expellere possint ab eodem subiecto, repugnantia verò non possint ex eo quod non habeant subiectum, quamvis eum repugnet illud, quod est homo, esse Angelum, tamen quandoquidem nec homo nec Angelus habent subiectum, non possunt excludere se ab eodem subiecto.

Quod si quæras an duæ formæ substantiales, excludentes se ab eadem materia, sint cōsentaneæ potius repugnantes, quæ cōtrariæ. Respondeo esse quæstionē de nomine, & quantum ad præsens perinde esse quid dicatur: cōmuniter autem supponuntur non esse propriè contrariæ, quia non habent subiectū in hæfionis, ex quo se invicē expellant. Et hæc breuiter de locis Dialecticis seu topicis sufficiant, quæ una cū eorū vfu & regulis facile capiet, qui est Logica & Philosophia sufficenter imbutus, alij verò recurrere possunt ad Oratores, qui de iis fufissime tractant.

CAPVT XXVI.

De syllogismo Falligrafo seu Sophistico

Quia facile posset quis decipi ad concedendam aliquam conclusionem falsam male illatam ob apparentiam, quam habent syllogismi sophistici, hic etiam aliquid de iis in particulari agendum restat.

Tria genera malorum syllogismorum. Itaque tria sunt genera malorum syllogismorū. *Primum* est eorum, qui seruant quidem debitam formam, sed constant materia improbabili, licet prima facie appareat probabilis: huiusmodi syllogismus est hic: *Quidquid non perdidisti habes, sed non perdidisti Imperium, ergo habes Imperium*; nam maior in re est improbabilis, cum multa sint, quæ non habentur, quæ tamen non fuerunt perdidisti, quia scilicet nunquam habebantur: habet tamen talem apparentiam, ut plurimi putarent, quod esset vera, & sic posset facile decipi.

Aliud genus est eorum, qui licet consent vera materia, non tamen constant vera forma, licet appareat quod habeant veram formam, talis est hic syllogismus: *Nullus homo est planta, nullus equus est homo, ergo nullus equus est planta*, non enim sequitur vi formæ conclusio, nam ex tribus negatiuis nihil sequitur, ut supra dictum est.

Tertium denique genus est eorum, qui non constant probabili materia aut vera forma, licet appareat quod consent iis, ut *Aliquid, quod non perdidisti, habes; sed Im-*

perium est aliquid, quod non perdidisti, ergo habes Imperium: nam in primis maior ex terminis nullam habet probabilitatem nisi apparentem, ex defectu reflectionis, & deinde si esset vera, falsa est conclusio, quia vi formæ nihil sequitur ex tribus particularibus affirmatiuis.

6. Sed ut melius quis cognoscat naturam syllogismi fallacis, seu falligraphi aut deceptorij, advertendum est quod apparentia syllogismi fallacis, ratione cuius possit decipere, vel est in dictione, hoc est orta ex dictione, vel non est orta ex dictione, si ex dictione oritur, vocatur fallacia dictionis; si non ex dictione, vocatur fallacia extra dictionem.

Fallacia dictionis diuiditur in *Equiuocationem, Amphibologiam, Compositionem, Diuisionem, Accentum, & figuram dictionis.*

Fallacia equiuocationis est deceptio, quæ oriri possit ex eo, quod ponatur in syllogismo aliquis terminus equiuocus, qui in vna propositione capitur in vno sensu, & in alia propositione in alio sensu, & talis committitur in hoc syllogismo: *omne corpus est substantia, quæritas trina dimensionis, hoc est longa, lata, & profunda, est corpus, ergo est substantia.* hic syllogismus apparet bonus, quia apparet factus in *Dari*; & tamē nō est bonus, quia quæuis præmissæ sint veræ, tamē conclusio est falsa: ratio autem deceptionis oritur ex dictione *corpus*, quod equiuoce significat substantiā materialem, & quantitatem trium dimensionū, & in vna ex præmissis capitur ut significat vnum ex illis, in altera ut significat alterum.

7. *Fallacia amphibologia*, est deceptio orta ex multiplici sensu orationis alicuius contentæ in syllogismo, ut fit in hoc syllogismo: *quidquid est Aristotelis, possidet ab ipso, hæc Logica est Aristotelis, ergo possidet ab ipso*; vbi conclusio falsa sequitur ex præmissis veris propter diuersum sensum orationis *est Aristotelis*, quæ in maiori significat illud quod spectat ad dominium eius, in minori vero quod est compositum ab ipso.

8. *Fallacia compositionis* est apparentia orta ex falso sensu cōpositionis, ut in hoc syllogismo: *nō est absurdum, quod qui potest vigilare vigilet, sed dormiens potest vigilare, ergo non est absurdum quod dormiens vigilet.* vbi colligitur conclusio falsa in sensu cōposito, coniungendo scilicet dormitionē cum vigilia, cum tamen ex præmissis illis vere non possit colligi illa conclusio in sensu composito, sed in sensu diuiso, ita scilicet ut sensus sit quod non sit absurdum quod qui dormit possit vigilare pro alio tempore, vel pro illo ipso tempore casu, quo non dormit.

Fallacia diuisionis, est apparentia orta ex sensu diuiso falso, ut in hoc syllogismo: *non potest sedens stare, sed Petrus est sedens, ergo nequit stare*, conclusio est falsa in sensu diuiso, nec in illo sensu sequitur ex præmissis, secundum quod sunt veræ.

Fallacia accentus est apparentia orta ex vocabulis similibus, sed diuersæ tamē significationis, aut diuersæ aspirationis, aut quætitatis, aut accentus; talis est in hoc syllogismo: *quidquid hamatur, hamo capitur, Deus amatur, ergo Deus hamo capitur.* hæc fallacia solum potest habere locum in voce, nec tum etiam locū habet, nisi vbi aspiratio h vix pronūciatur. Talis etiam est in hoc syllogismo: *omnis populus conflatur ex multis hominibus, sed arbor quadam est populus, ergo conflatur ex multis hominibus*: vbi populus in maiori habet primā syllabam breuem, in minori longā; & ratione istius diuersæ quantitatis habet etiam diuersam significationem. Non est autem fallacia equiuocationis, quia non est eadē vox populus in maiori, & in minori, cum non habeat eandem quantitatem.

11. *Fallacia figura dictionis* est apparentia quadam orta ex similitudine accidentali duarū dictionum, ob quam arguitur ex eo, quod aliquid competat vni ex illis, tale quid debere cōpetere alteri. Hæc autem cōtingit tripliciter: primò si ob similitudinem desinentiam vocabulorum attribuitur ipsis eadem affectio grammaticalis, aut logicalis, ut si diceretur: *Musca est fœminini generis, ergo & Poëta*: facies est prædicamēti substantiæ, ergo & species. Secundò quanto arguitur à nomine significatē substantiā rei ad nomen significans substantiā, & accedens aliquid eius

Fallacia dictionis.

Fallacia æquiuocationis.

Fallacia amphibologia.

Fallacia compositionis.

Fallacia diuisionis.

Fallacia accentus.

Fallacia figuræ dictionis.

eius ut sit in hoc discursu: *Quidquid emisit comedit, carnes crudas emisit, ergo comedit ubi in maiori affirmatur verè, quod quicquid emerit comederit, quoad substantiā, & in conclusione infertur quod eas comederit etiam ut affectas aliquibus accidentibus.* Tertio denique contingit hæc fallacia, quando dictio quæ conuenit superiori, ut abstrahit ab inferioribus, infertur etiam conuenire inferioribus; aut cum dictio, quæ conuenit inferiori, infertur conuenire superiori. Exemplum primi est in hoc discursu: *Homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species.* Exemplum secundi est in hoc syllogismo: *Petrus est distinctus ab homine, sed Petrus est homo, ergo homo est distinctus ab homine.* Hæc sunt fallaciæ figuræ dictionis, & in omnibus committitur æquiocatio ac reperiuntur plures termini quàm tres, & sunt nullius momenti, saltem præter ultimam, quæ est figuræ dictionis: nec hæc etiam est ullius momenti, nisi in secundo & tertio modo.

Fallaciæ
extra di-
stinctionem.

Fallacia
acciden-
tis.

Fallacia
eius
quod
simplici-
ter dicitur
& non
secundum
quid.

Fallacia
ignorati-
onis
elenchi.

Fallacia
petitio-
nis prin-
cipij.

Fallacia
confe-
quentis.

12. Restant iam fallaciæ, quæ vocantur *extra dictionem*, quia scilicet sumunt causam suæ apparentiæ ex re significata magis quàm ex verbis ipsis: sunt autem septem; nimirum, *Accidentis*, eius quod simpliciter dicitur & non secundum quid; *Ignoratiōis elenchi*; *Petitiois principij*; *Consequentis*; *non causa, ut causa*; plurium interrogatorum, ut unus.

13. *Fallacia accidentis* est apparentia orta ex conuenientia aliquorum in aliqua vna ratione, ob quam conuenientiam arguitur, id quod conuenit vni, conuenire alteri, aut è contra, ut contingit in his exemplis: *Homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus. Risibile est animal, animal non est proprium hominis; ergo nec risibile.*

14. *Fallacia eius quod simpliciter dicitur, & non secundum quid*, est apparentia orta ex eo quod arguitur ab eo, quod simpliciter est tale, ad illud quod non est simpliciter tale, aut è contra; ut contingit in his exemplis: *Homo est animal, ergo homo pictus est animal: Æthiops est albus secundum dentes, ergo est albus.*

15. *Fallacia ignoratiōis elenchi* est apparentia orta ex eo quod appareat contradictorium inferri, cum tamen reuera non sit contradictorium, ut sit in hoc discursu: *Petrus dormit noctu, & non dormit de die, ergo dormit, & non dormit; consequentia non valet, si sensus sit, quod eodem tempore dormiat, & non dormiat.* Hæc fallacia est, satis friuola: vocatur autem fallacia ignoratiōis elenchi; quia elenchus est argumentatio, qua recte infertur contrarium vel contradictorium alicuius quod ante concedebatur.

16. *Fallacia petitiois principij* est apparentia orta ex eo quod aliquid assumatur ad probandum aliud, quod est æquè obsecrum, aut obscurius, aut quod æquè controuertitur; ut si quis ad probandum quod homo esset quid compositum ex anima & corpore, assumeret pro medio quod competerent ipsi effectus animæ & corporis. Hæc etiam est parui momenti.

17. *Fallacia consequentis* est apparētia orta est eo quod ex consequenti infertur antecedens, aut ex opposito antecedentis oppositum consequentis, quemadmodum inferri potest consequens ex antecedente, & oppositum antecedentis ex opposito consequentis. Per *antecedens* hic intelligitur illud ex quo aliud sequitur, cum tamen ipsum non sequatur ex illo alio, ut homo respectu animalis, sequitur enim: *est homo, ergo animal;* & non sequitur: *est animal, ergo est homo.* Per *consequens* intelligitur illud, quod sequitur ex alio, cum tamē illud aliud ad ipsum non sequatur, ut animal respectu hominis. Huiusmodi fallacia committitur in hoc sophismate: *qui dicit te esse animal, dicit verū; sed qui dicit te esse equū, dicit te esse animal; ergo qui dicit te esse equū, dicit verum.* in quo ex eo quod dicatur de aliquo, quod sit animal, infertur, quod possit dici de ipso, quod sit equus; cum tamen equus sit antecedens ad animal & animal consequens, & non antecedens ad equum. Deceptio autem huius sophismatis clare patet, quia sensus maioris est, quod, qui dicit hominē esse animal, non coniugendo cum animal aliquid aliud repugnās homini, dicat verū, sed qui dicit ipsum esse equum, non dicit de ipso quod sit animal solūmo-

do, sed quod sit animal tale, unde manifestum est quod non sequatur illum, qui sic dicit, dicere verum.

18. *Fallacia non causa, ut causa*, est deceptio, quæ oriatur ex eo, quod aliquid putaretur esse causa falsitatis aut veritatis alicuius propositionis, cum tamen reuera non esset causa; eius talis committeretur in hoc discursu: *arma attulerunt perniciem bonis, ergo non sunt permittenda, consequentia nihil valet, quia arma non attulerunt perniciem per se, sed ex abusu hominum malorum.*

19. *Fallacia plurium interrogatorum, ut vnus*, est apparentia orta ex eo, quod quis interrogatus, de pluribus quorum quædam sunt falsa, quædam vera, si vnam dederit responsionē, possit conuinci falsitatis: ut si quis interroget, an Petrus sit homo & lapis, respondeatur quod sic, tū inferretur, ergo est lapis; si respondeatur quod nō, ergo non est homo. Sed hæc fallacia est parui momenti.

CAPVT XXIV.

De modo disputandi.

1. **Q**uandoquidem frequens disputandi vsus, cum ad acuendum ingenium, tum ad examinandā veritatem, mirū in modum deferuiat, soleatque propterea in melioribus quibusque Academicis, ac Scholis sapissimè adhiberi, pro cōplemento summularū, pauca hic præcepta placuit proponere, quæ inter disputandū sunt obseruanda; loquor autē potissimum de disputatione illa, quæ ordinate instituitur inter vnum aliquē, qui ad defendendum, ac respondendum seligitur, & alium, vel alios, qui argumentari debeant in Schola, aut alio publico loco.

2. Itaque imprimis tam argumentans, quam respondens alta semper ac clara voce vri debent, sine tamen clamoribus & ingrato strepitu; sed cum seruiore modesto, qui & ad colligendam memoriā, & ad excitandam attentionem apprime conducit, caueantque vterque, ne vnquam se mutuo interrumpant, sed defendens permittat argumentanti totum argumentum, proponere, & argumentans patienter audiat respondentem, donec integre responsum concluderit.

3. Secundò argumentans antequam proposuerit argumentū primum, veniam capiet ab auditorio, vel verbis, vel assurrectione, aut alio aliquo reuerentiæ signo iuxta consuetudinē loci, ac auditorij qualitatem, tum proponat argumentū præmissis his, aut similibus verbis: *Argumentor contra conclusionem vestrā talem, aut talē, in qua dicitis, &c.* & magno studio curet vitare verba superflua in argumentis, ac vti propositionibus claris.

4. Tertio respondens proposito argumento, primò facta reuerentia argumentanti, ac præmissis his aut similibus verbis. *Argumentatur R. P. vel doctissimus Dominus, aut carissimus condiscipulus iuxta qualitatem argumentantis, contra conclusionem nostram in qua dicimus, &c.* fidelissime repetat, etiam seruatis, quantum poterit, iisdem verbis ac eodem ordine, totum argumentū bis, & in secunda repetitione respondeat in forma, omisiss discursibus, rationibus exemplis instatiis, nisi interrogetur. Tunc autē respondebit formaliter, quando ad singulas propositiones sigillatim responderit cōcedendo, aut negando, aut distinguendo, prout exigunt, & specificādo quālibet ex illis, v.g. si proponatur syllogismus, & neganda fuerit prima propositio, dicat: nego maiore, si secunda; nego minorem, si tertia propositio, non sequatur ex ipsis, nego sequelam, aut consequentiam. Quod si prima fuerit concedenda aut secunda, dicat: cōcedo maiorem, aut minorem; si alterutra fuerit distinguenda, dicat: distinguo maiore aut minorem, nunquam verò distinguat consequentiā: sed si tertia propositio habeat plures significationes, & in vno sensu sequatur ex præmissis, in alio non sequatur, dicat: distinguo cōsequens, & proposito sensu, in quo sequitur, dicat: concedo consequentiā: proposito verò sensu, in quo non sequitur, dicat: nego consequentiam; similiter quando distinguat maiorem aut minorem, proposito sensu, in quo propositio est cōcedenda, dicat: concedo maiorem, aut minorem; & proposito alio sensu, in quo est neganda, dicat: nego maiorem vel minorem: nec det vnquam rationem, cur neget vllam propositionem, nisi interrogatus.

Fallacia
non cau-
se vt
causæ.

Fallacia
plurium
interro-
gationū
vt vnus.

Modus
bene dis-
putandi.

Si argumentum non fuerit syllogismus, sed enthymema constans duabus propositionibus, antecedenti scilicet & consequenti, respondeat ad primam propositionem concedendo, aut negando, aut distinguendo antecedens, & ad secundam propositionem, distinguendo consequens, vel concedendo aut negando consequentiam, sicut responderi debet ad tertiā propositionem syllogismi: si prima propositio neganda fuerit, non est respondenti ulterius progrediendū in repetendo secunda vice, & idem est dicendum si neganda fuerit secunda; quod si prima aut secunda fuerit distinguenda, post distinctionē ulterius progrediendū erit ad consequens, & vicissim distinguere debet consequens, si tamen antecessus fuerit distinctum ratione vllius ex extremitatibus: aut si fuerit distinctum ratione termini medij, consequens non debet distinguere, sed negari consequentia.

6. Quarto. Argumentans audita responsione, prober quod negatum est. v.g. maiorem, vel minorem, vel consequentiam: quod si vlla propositio fuit distincta, vel ostendat distinctionem non valere, vel prober propositionem in sensu, in quo negabatur esse veram; aut conclusionem sequi ex ipsa in sensu in quo concedebatur, & si hoc vltimum voluerit facere, assumat propositionem eandem in sensu concessio, & inferat ex illa conclusionem; & si negetur consequentia, prober eam. Caueat autem ne vnumquam assumat in progressu argumenti pro maiori, aut minori, aut antecedenti propositionem semel negatam, quia sic faciendo peteret principium.

7. Quinto. Defendens si proponatur autoritas aliqua non neganda pro medio ad impugnandā conclusionem, non neget ipsam, sed vel distinguat ipsam reddendo diuersos sensus eius, vel honoris causa dicat: *Explico auctoritatem illam*; & ostēdat diuersas significationes eius, in quarū vna concedat eam esse intelligendā, in alia neget, quod in re idē est ac ipsam distinguere. Si argumentans supponat aliquid, quod videtur responderi falsum, vt si supponeret quod aliquid fuerit concessum, quod reuera non concedebatur, & vis argumenti ab illa suppositione dependeat. Defendens respondere debet negando suppositum; & si illud suppositum fuerit in maiori, aut minori, dicat, nego suppositum maioris aut minoris. Si antecessus aut maior aut minor argumenti fuerit conditionalis aut rationalis, & sit falsa, respondendum erit negando sequelam maioris, aut minoris, aut antecessus.

8. Sexto. Quando queritur ratio alicuius rei, dicat Respondens *Querit a me &c.* & det rationem quam breuitat ac clare poterit, sed caueat semper ne det pro ratione illud ipsum, de quo controuertitur, aut aliquid ab ipso dependens, aut æquē incertum, quia sic peteret principium.

Reliqua inter disputandum aduertenda ipso vsu ac Lectoris diligentia facile discuntur. Hæc autem omnia cedant ad DEI Omnipotentis, Virginisque MARIÆ honorem & gloriam.

DISPUTATIO PRIMA PRO O E M I A L I S. DE ENTE RATIONIS.

QUANTUM ad ens rationis considerationem ad Metaphysicam pertineat, quia tamen vix potest natura Logicæ intelligi, quin quid sit ens rationis intelligatur; pro maiori studentium commoditate ipsum Logicæ initium ab eo sumendum videbatur.

Q U Æ S T I O I. Quid sit ens rationis.

HOC nomen *ens rationis* est æquiuocum, & varias habet significationes, ex quibus proponam principales, vt intelligatur de quo ente rationis agamus. Itaque primò significat omne illud, quod subiectatur in intellectu seu ratione, & in hoc sensu actus & habi-

tus intellectus, & species intelligibiles, quamuis sint entia realissima, sunt etiam entia rationis.

Secundo significat omne illud quod est producibile per intellectum siue physice, vt actus & habitus intellectuales; siue directe, vt sunt artificialia omnia, quæ mediante intellectu directione fiunt, licet hæc omnia secundum se sint entia realia.

Tertio significat omne, quod obicitur intellectui, seu quod consideratur & intelligitur ab intellectu, & in hoc sensu omnia entia realia possunt vocari entia rationis, quia omnia illa possunt intelligi ab intellectu.

Quarto significat, præcipue apud Scotistas, omne quod non habet actu existentiam realem, quamuis eam possit habere: & in hoc sensu Antichristus modò est ens rationis: quæ autem sunt entia rationis in hac acceptione vocantur alio nomine à Scotistis quibusdam, entia diminuta.

Vltimò denique significat illud, quod non est ens reale vlla ratione, hoc est, quod neque realiter existit, neque realiter existere potest, & in hoc sensu, non in vilo ex quatuor prioribus, agitur hic de ente rationis.

2. Entis porro rationis in hac vltima acceptione varias descriptiones adhibent Doctores. *Suares disp. 54. Met. sect. 1. n. 6.* ait ens rationis esse, quod cogitatur vt ens, cum tamen in se entitatem non habeat: & eandem descriptionem approbat *Auerfa q. 5. Log. sect. 2.* qui tamen non eodem modo debet intelligere illud *cogitatur*, quo Suares intelligit, nam hic debet intelligere per illud, quid commune cogitationi intellectuali ac phantastica, quandoquidem existimet ens rationis fieri non solum per intellectum, sed etiam per phantasiam; Auerfa autem solum intelligit operationem intellectus, quia soli intellectui tribuit entis rationis effectiōem.

3. Sed quomodocumque intelligatur illud *cogitatur*, Impugnatur hanc descriptionem facit primò, quod, dum dicitur ens rationis esse, quod cogitatur vt ens, cum nullam entitatem habeat, vel intelligunt quod cogitatur vt ens reale, cum nullam entitatem realem habeat, vel intelligitur quod cogitatur, vt aliquod ens reale, aut rationis, cum nullam entitatem habeat reale aut rationis, si primum dicant, falsum videtur, quia non est necessariū vt entia rationis cogitentur aut concipiantur per modum entium realium, imò sæpe cogitantur per modum omnino oppositum, hoc est per modum proprium entium rationis, alias intellectus non posset distinguere illa ab entibus realibus; nec verū est quod dicit *Mastrius disp. 3. q. 1.* ex eo quod ens reale sit obiectum adæquatum intellectus, sequi, quod nihil concipere possit, nisi per modum entis realis: nam quamuis corpus naturale sit obiectum adæquatum Physicæ, & syllogismus, aut modus sciendi Logicæ; tamen certū est Logicæ tendere in multa, quæ non concipit per modū syllogismi aut modi sciendi & Physicam etiam considerare multa non per modū corporis naturalis: quod si illud esset obiectum adæquatum intellectus, quod ita se haberet, vt nihil posset concipere, nisi per modum illius, profecto nec ens nec vllum aliud vnum quid esset obiectum adæquatum eius.

Secundum etiam dici nequit, quia ens rationis habet sine dubio entitatem rationis.

Secundò facit contra eandem descriptionem, quod dantur etiam actus, suo modo existentia quædam entia rationis, quæ non cogitantur vllō modo, ergo non bene describitur ens rationis esse quod cogitatur. Probatur antecedens, quia quando aliquis cogitat vnum ens rationis, & alius simul cogitat aliud ens rationis, illa duo entia rationis habent inter se similitudinem rationis non minus, quam quæcunque alia entia realia habent inter se similitudinē realem, etiam si nullus consideret aut cogitet de illa similitudine, ergo dantur entia rationis actu existentia suo modo, etiam cum non cogitantur.

4. Secunda descriptio & quidem communior entis rationis est, quod sit illud quod habet esse obiectiue tantū in intellectu. Hanc approbat etiam quidam Scotista sed parū vt videtur consequenter ad sua principia, quādoquidē ipsemet postea asserat phantasiam facere ens rationis,

C 2 certum

Varie
descri-
pciones
entis ra-
tionis
proprij.

Intelle-
ctus po-
test con-
cipere
aliquid
& non
per mo-
dum ob-
iecti ad-
æquati.

Impu-
gnatur
secundo.

Dantur
entia ra-
tionis
quæ non
cogitan-
tur.

Secunda
descri-
ptio en-
tis ratio-
nis.